



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi

Sandaeus, Maximilianus

Antverpiae, 1647

Nutzungsbedingungen


[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55449)





1
105

M. 3265.


J. I
18.







Non iudicavi me scire aliquid, nisi
IESVM CHRISTVM CRUCIFIXVM. *1 ad Corinth. 2. 2.*



SOCIETAS IESV

AMATRIX, CULTRIX, IMITATRIX,
CHRISTI CRUCIFIXI

S E U

OCCUPATIO

AMATORIS CRUCIFIXI


Exemplis è Societate J E S U
petitis comprobata

A

MAXIMILIANO SANDÆO,
Societ. JESU Doct. Theol.



ANTVERPIÆ,
Apud Viduam JOANNIS CNOBBARI. 1647.



P. N.

ADMODUM REVERENDO
VINCENTIO CARRAFA
PRÆPOSITO GENERALI
SOCIETATIS IESV
Felix, ut Anni, sic Gubernationis
A CRUCIFIXO

Auspicium precatur

MAXIMILIANUS SANDÆUS.

ROMÆ agens, missus à Rheno Provincia-
rum Germanicarum ultimo tractu, ad
Comitia Ordinis nostri Generalia, in quibus Tu
Adm. R. P. incredibili conspira-
tione coetus numerosissimi electus
es, post maturrimam deliberatio-
nem non absque afflatu Divino,
PRÆPOSITVS SOCIETATIS IESV
GENERALIS, curæ mihi fuit, ut
benè occupatus, tempus illud om-
ne, quo me abesse erat necesse ab
inchoatis, consuetisque meis lucu-
bratio-

Congrega-
tio VIII.
Generalis
Soc. I.

Anno M.
DC. XLV. OC-
cidente &
XLVI. ex-
orientem in
eâ electus.

VII. Ianua
rii.

VINCEN-
TIVS CAR-
RAFA

Præpositus
Generalis.

[a]

bratio-

EPISTOLA

brationibus haud malè, vaneque impenderem.

Occasio
Scripti.

Quamvis enim periculum non erat, ne otiosus dies, aut bonas horas fallerem, ita districtus, tum Deputationis matutinæ, tum Congregationis vespertinæ negotiis, ut nulla penè daretur vacatio; tamen animadvertēbam superesse nonnunquam temporis segmenta aliqua, licet brevissima, quæ si absque lectiunculâ, scriptiunculâque elabi non paterer, possent deservire Commentationi, & mihi privatim, & aliis publicè fructuosæ.

Titulus.

Qualem equidem reor esse istam, cujus est titulus SOCIETAS JESU, *Amatrix, Cultrix, Imitatrix* CHRISTI CRUCIFIXI. In quâ produco Praxes quasdam (ut Ascetæ nostri loquuntur) &, secundum illas, Exempla varia piè recolendi PASSIONIS DOMINICÆ, & CRUCIS Sacro-sanctæ mysteria. Quibus continetur modus multiplex CRUCIFIXVM Dominum peculiariter

DEDICATORIA.

riter Amandi, Colendi, Imitandi,
Quæ est OCCVPATIO Amatoris
CHRISTI CRVCIFIXI Servatoris
nostri.

Collegi autem omnia è monu-
mentis nostris domesticis, quibus ^{Materia,}
pervolvendis Congregationis tem-
pore dabatur opportunitas. Ex iis ^{Fones}
autem tanquam hortis amœnissi-
mis, ac benè confitis, qui floribus
abundant, haud est difficile, modò
non desit Apicula, istiusmodi pie-
tatis mel conficere. Quod in isto
reconditum Opusculo, TIBI re- ^{Causa de-}
linquere placuit, Religioss. Pater, ^{licationis.}
antequam Româ discedam. Tum,
ut sit Anni hujus recens inchoati, ^{I,}
& Tuâ in nostris Fastis signandi ^{Anni novi}
Electione benè ominosâ, quædam ^{felix auspi-}
veluti strena, quæ offerri solet Pa- ^{cium.}
tronis à Clientulorum turbâ, in
quâ nomen perlubenter profiteor
meum.

Tum, ut aliquod in sinu Pater-
nitatis Tuæ erigam monumentum ^{II,}
promptissimæ ad obsequium om- ^{Obsequii}
ne ^{contestatio.}

EPISTOLA

ne religiosum voluntatis, filius
haud immemor gratitudinis, uti-
nam! ære perennius.

III.
Aggratula-
tio.

Tum, ut hoc initio Generala-
tus, TIBI gratuler, uti moris est
apud benè natos educatosque, non
tam de Electione, quàm Te indi-
gnum proclamabas, & penè la-
chrymans protestabâre eo tempo-
re, quo Electores Tui omnes
VNUM TE dignissimum, inviola-
bili jurisjurandi religione coram
CRUCIFIXO adstricti, sanctè ad-
firmarant; quàm de judicio tot
tantorumque ex omni penè na-
tione, quæ sub cælo est, Patrum
gravissimorum in Vnum conspi-
rantium.

Patres Con-
gregationis
VIII.
NOTÆ. in-
ferius.

CATALO-
GVS. infe-
rius.

Eramusenim, cùm TE Societa-
ti præficeremus universæ, ex orbe
nostro collecti, Itali, Germani, Hi-
spani, Galli, Lusitani, Sardi, Po-
loni, Bohemi, Lithuani, Britanni,
Flandri, Menapii, Hollandi; sub
quibus, variis denominationibus
noscibiles continentur alii: & præ-

ter

DEDICATORIA.

ter hos Europæos, ex orbe altero,
Indi, si non ortu omnes, certè, in-
colatu, tum Orientales, tum Occi-
dentales: erant præsentés Goani,
Malabares, Japonii, Peruani, Me-
xicani, Neo-Granatenses,

Quibus omnibus potestatem Electi mo-
destia.
mox faciebas (resignando prom-
ptius, quàm affectare solent ambi-
tiosi Ius adquisitum) ut alium
quemcumque nominarent, modò
Te silentio præterirent. At enim
Nomen tuum Victoriis natum, &
ab æterno in præscientiæ Divinæ
Vrnâ abditum, tunc verò Provi-
dentiæ cælestis extractum dexte-
râ, nobis silenter transilire non erat
profectò integrum, nec fas fuif-
set.

Quamobrem ne perciperemus
extremæ demissionis suspiriis mix- Eligentium
constantia.
tas voces, aures pertinaciter obtu-
ravimus, & in Electionis semel fa-
cto decreto perstitimus. O certa-
men forte ac pulchrum DEOQUE
gratum, CONSTANTIAE & MODE-

EPISTOLA

TIÆ! illius moveri nesciæ: istius
cedere tandem coactæ.

INNOCEN-
TII X. P.
M. Appro-
batio.

Quod usque adeò probavit
CHRISTI in terris Vicarius, INNO-
CENTIVS Pontifex Max. ut, post-
quam TE, eodem die, ad Sanctos
abjectum pedes, humillimè de re-
bus tuis sentientem ac differentem
audivisset, solatus sit paternè ver-
bis placidissimis, anima veritque,
omnia benevolentiaè paternæ in-
dicia ostendens cumulatè, & cum
benedictione Apostolicâ, patroci-
nium, auxiliumq; addicens suum.

Gratulatio.

Quod autem omnibus istis ma-
jus censerì debet, quia eatenus in-
auditum, Patribus Comitibus tuis
gratulatus est de Electione San-
ctissimus Dominus. Neque hoc
Pontificiæ Majestati visum satis,
quòd cuilibet alteri videri posset
nimium. Siquidem Tecum ab-
euntibus mandavit, ut ex eis VNUS;
suo nomine Electoribus, in publi-
câ Congregatione, gratias agerent,
quod Societati præfecissent TE.

Gratiarum
actio,

Elogium

DEDICATORIA.

Elogium supprimo Pontificium,
memor præcepti à Te mihi impo-
siti.

Valeat iudicium, supremi in Ec-
clesiâ Capitis, de summo Societa-
tis minimæ Capite. Vivantque diu
incolumes, INNOCENTIVS &
VINCENTIVS, uterque ad Sacra-
t Ordinis, & Reipublicæ Christia-
næ commune bonum. Hoc testari
erat consilium oblato isthoc opu-
sculo. Cujus & alia caussa.

NIMIRVM, avebam, TIBI Pa-
ter optime, proponere CRVCIS ac
CRVCIFIXI Amatores quosdam
eximios, eosque non aliunde evo-
catos, sed domesticos omnes, nem-
pe Socios, quorum recordatione,
arctam CRVCIS viam ingressum
TE olim cum religiosum amplexus
es institutum, in memoriam revo-
cares; & nunc ad CRUCEM post
CHRISTVM portandam, cum ad
onus Angelicis metuendum hu-
meris sustollendum vocatus es, eo-
rum exemplis magis instigareris.

Iudicium
P. M.

IV.
CRVCIFIXI
Amor.

Cultus.

Imitatio.

EPISTOLA

V.
CRUCIFIXI
contempla-
tio.

Denique, animus mihi erat
CRUCIFIXVM Dominum oculis
tuis objicere, circa quem jucunda
Tibi esse possit, per intervalla Oc-
CUPATIO molestissimis per diem
defatigatum occupationibus. Dici
enim non potest, quàm quieta,
quamque amœna Religioso Præ-
suli, post mille rerum in guberna-
tione occurrentium ac tumultuan-
tium molestias, in VVLNERIBVS
CRUCIFIXI, quando ad illa fiden-
ter recurritur, sit commoratio.

CRUCIFI-
XVS refu-
gium Anti-
stitum.

Quod expertus es haud dubiè,
& satis demonstrat libellus aureus,
FASCICVLVS MYRRHÆ inscriptus:
ex cuius lectione didicimus, San-
ctissimas CHRISTI CRUCIFIXI
PLAGAS, esse, peregrinantium
Patriam, Viatorum Hospitium,
circumvelitantium ad defatigatio-
nem Aquilarum Nidum, navigan-
tium Portum, laborantium ad
quietem capiendam lectulum, &
quid denique? Malorum omnium
averruncamentum, & bonorum
promptuarium. Quo-

DEDICATORIA.

Quocirca, offerendo hoc Anni CRUCIFI-
& Gubernationis Tuæ initio, cum XVS.
CRVCIS Amatoribus, CRVCI- Theſaurus.
FIXVM, & in eo PLAGAS hiantes,
utriusque felix auspiciū Paterni-
tati Tuæ, cum bonorum omnium Strenu,
thesauro, precor, immò exhibeo.
Quid hoc donario optatius! Eo, Donarium.
ut quàm diutissimè ad suam So-
ciorumque salutem perfruatur, fa-
ciet, spero, moderator temporum
DEVS, filiorum suorum amantiſsi-
mus, (nos preces accumulabimus)
& P.^{tem} T.^{am} Fratibus suis, quos
homines mundo Crucifixos &
quibus Mundus ipse Crucifixus sit
summopere desiderat, multis annis
seruabit incolumem. Ita optamus
omnes. Romæ Anno CHRISTI
CRUCIFIXI M. DC. XLVI.

FACULTAS

R. P. N.

VINCENTIUS CARRAFA
SOCIETATIS IESV

Præpositus Generalis:

CUM Opusculum, cui titulus, Oc-
cupatio Amatoris CHRISTI
CRUCIFIXI à P. Maximiliano San-
dao nostræ Societatis Sacerdote conscri-
ptum, tres ejusdem Societatis Theologi
recognoverint, & in lucem edi posse pro-
baverint, facultatem concedimus, ut ty-
pis mandetur, si ita iis, ad quos spectat,
videbitur. Datum Romæ 25. Martij
1646.

Vincentius Carrafa.

AD

A D

PATRES & FRATRES
SOCIETATIS IESV.

Homines CHRISTI CRUCIFI-
XI Amatores, Cultores & Imi-
tatores mundo Crucifixos, & quibus
mundus ipse sit Crucifixus, vitæ nostræ
ratio nos esse postulat. Homines, inquam,
novos, qui suis se affectibus exuerint, ut
CHRISTVM induerent, sibi mortuos,
ut iustitiæ viverent. Qui, ut D. Paulus
secundæ ad Corinthios VI. scribit, in la-
boribus, in vigiliis, in jejuniis, in casti-
tate, in scientiâ, in longanimitate, in
suavitate, in Spiritu sancto, in charita-
te non ficta, in verbo veritatis se DEI
Ministros exhibeant: & per arma iusti-
tiæ, à dextris, & à sinistris, per gloriam
& ignobilitatem, per infamiam, & bo-
nam famam, per prospera denique &
adversa magnis itineribus ad caelestem
patriam, & ipsi contendant, & alios et-
iam quacunque possunt ope, studioq;
compellant, maximam DEI gloriam
semper intuentes. Hac est summa, hic sco-
pus instituti SOCIETATIS IESV.

NO-

N O T Æ.

QUONIAM in Epistola dedi-
catoria nominantur Natio-
nes, & Provinciæ è quibus conve-
runt Patres, circa quos varii irre-
pserunt errores in diariis & indi-
culis per totam Europam sparsis,
expedit hîc subtexere Catalogum,
tum Provinciarum, tum Persona-
rum: in quo legantur nomina, co-
gnomina, ætas, & ordo sessionis,
secundum Professionis antiqui-
tatem in classe qualibet: denique
Provinciæ, unde quilibet venit, de-
signatio.

CATALOGVS
PROVINCIA RUM
SOCIETATIS IESV.

IN ITALIA

Provincia quatuor.

I. **R**OMANA. Continet in Italia, Latium, Umbriam, Picenum, Etruriam, Sedis Apostolicæ, & magni Ducis Toscanæ ditiones, in Illyrico Rempublicam Ragusinam. Numerantur Socii 810.

II. VENETA. Præter Venetorum in Italiâ & Cretâ ditiones, continet Galliæ Cisalpinæ inferiorem regionem, quâ Padus in mare Superum illabitur. Paret hic tractus partim Apostolicæ sedi, partim Principibus, Parmensi, Mutinensi, Mantuano, Mirandulano. Socii 405.

III. MEDIOLANENSIS. Continet Galliæ Cisalpinæ superiorem regionem, quâ ex Alpibus Padus variis fluminibus accrescit; Ducatum Mediolanensem Regis Catholici, Pedemontium Ducis Sabaudix, Liguriam & Corsicam Reipub. Genuensis, ac Vallem-Tellinam. Socii 431.

IV. NEAPOLITANA. Continet Campaniam,

CATALOGUS

niam, Lucaniam, utramque Apuliam, & Calabriam, Samnitum, & Salerninorum sedes. Vulgò Regnum Neapolitanum Regi Catholico subditum, cum urbe Beneventana ditionis Pontificiæ. Socii 610.

IN SICILIA

Quæ Regi Catholico tota parer, erant ante annos aliquot Provinciæ duæ.

- I. Sicula Occidentalis, Sociorum. 365.
- II. Sicula Orientalis, Sociorum 296.

Sed paulò ante Congregationem coaluerant in unam. Cui adnexæ sunt Missiones & Residentiæ Asiaticæ sub Turca.

IN SARDINA

Provincia una: Regi Catholico subdita. Socii 210.

IN LVSITANIA

Provincia una continet Regna Portugalliæ, & Algarbiæ, insulas Azores, sive Flandricas, Fortunatas, Hesperidum, Africam Oceano Atlantico objectam, à Mauritania usque ad Promontorium Bonæ spei. Socii 660.

IN HISPANIIS

Provinciæ quatuor.

- I. TOLETANA. Continet Castellam novam, Regnum Toletanum, & Muxcianum. Socii 663.

- II. CASTELLANA. Continet Castellam veterem, Regna, Legionense, Navar-

PROVINCiarUM.

ræ, & Cantabriam. Socii 562.

III. ARAGONENSIS. Continet Regna, Aragoniæ, Valentiaë, Catalauniæ, & Maioriciæ. Socii 441.

IV. PETICA. Continet Regna, Andalusiam, Cordubam, & Granadam. Socii 633.

IN GALLIA

Provinciae quinque

Quarum tres priores soli subsunt Regi Christianissimo.

I. FRANCIAE. Continet insulam Franciæ, Picardiam, Belsiam, Normanniam, Britanniam, & Regiones ad fluvium Ligerim. Item Missiones ac Residencias in novâ Francia, & in Græciâ sub Turcâ. Socii 590.

II. AQUITANIAE. Continet à Ligeri ad Pyrenæos viciniorum Oceano Aquitanico tractum, cum Bearnia in ipsis montis faucibus. Socii 320.

III. TOLOSANA. Continet utramque Languedociam, præcipuam Galliaë Narbonensis partem, à Garumnâ ad Rhodanum. Socii 400.

IV. LVGDVNENSIS. Continet agrum Lugdunensem, Delphinatum, & Provinciam sub Rege Christianissimo; Ditionem Avenionensem sedis Apostolicæ, Comitatum Burgundiæ sub Rege

CATALOGUS

Rege Catholico, & Sabaudiam proprio Duci subjectam. Socii 476.

V. CAMPANIA. Continet Campaniam, & Ducatum Burgundiæ sub Rege Christianissimo, & Lotharingiam proprio Duci subjectam. Socii 370.

IN BELGIO

Provinciae duæ

I. FLANDRO-BELGICA. Quà mari vicinior, idiomate Teutonico, seu Flandrico loquitur; continet Brabantiam, Flandriam, partem Gelriæ, sub Rege Catholico, & Missiones, ac Residentias Hollandicas in VIII. Provinciis Ordinum Confederatorum. Socii 801.

II. GALLO-BELGICA. Quà Franciæ contigua Gallico idiomate utitur, continet Artesiam, Hannoniam, Gallo-Flandriam, Luxemburgum, Namurcum, Ec. sub Rege Catholico, & Diœcesim Leodiensem, sub proprio Principe. Socii 773.

IN ANGLIA

Provincia una

ANGLICANA. Continet Collegia in Belgio Regis Catholici, & Diœcesis Leodiensis, & per omnes Angliæ Provincias. Socii 267.

PROVINCiarUM.

IN GERMANIA

Provinciae quinque,

Harum tres in Imperio continent Civitates liberas, aliasq³ Principibus propriis subditas.

I. RHENI INFERIORIS. Belgio contigua, distenditur à Mosellâ fluvio ad Oceanum Germanicum. Continet Diœceses, sub Electoribus, Coloniensi & Trevirensi, aliisque Ecclesiasticis Principibus. Item Cliviam, VVetteraviam, & Montensem, ac Juliacensem Ducatum, sub Principibus. Brandenburgico, Neoburgico, Nassovio. Socii 406.

II. RHENI SUPERIORIS. Continet Diœcesim Electoris Moguntini ad Rhenum, in Thuringiâ, & Eysfeldiâ, Franconiam & Buchoniam, sub suis Principibus Ecclesiasticis: Palatinatum inferiorem sub Rege Catholico, & Electore Bavaro: Alsatiam inferiorem sub Austriacis, & Episcopo Argentinenfi, Marchionatum Badensem, & contermina. Socii 434.

III. GERMANIÆ SUPERIORIS. Continet Palatinatum & Ducatum Bavarix sub suo Electore; Tirolim, Alsatiam superiorem, Brisgoiam sub Austriacis; Respublicas, Helvetiam & Vale-

CATALOGUS

Valesiam; denique, varias Diœceses sub suis Episcopis. Socii 706.

IV. AVSTRIÆ. Continet Regna Hungariæ, Slavoniæ, Croatia; Archiducatum Austriæ, utramque Styriam, Carinthiam, Carniolam, Goritiam, Istriam, sub Cæsaribus Austriacis. Item, Missiones ac residentias Transilvaniæ, & Ditionem Regno Hungarico à Turcis ereptam. Socii 450.

V. BOHEMIÆ. Continet Regnum Bohemicum, eiq̃ue unitas, Silesiam & Moraviam sub Cæsaribus Austriacis. Socii, 287.

IN POLONIA

Provincia dua sub Rege proprio.

I. POLONICA. Distenditur à mari Baltico ad pontum Euxinum: continet utramque Poloniam, Russiam rubram; utramque Volhiniam, Podoliam, & Pomerelliam. Socii 532.

II. LITHVANIÆ. Quà Sueciæ, Moscoviæ, & Tartariæ contigua est, continet Lithuaniam, Massaoviam, Prusiam, Livoniam, & partem majoris Russiæ. Socii 468.

IN INDIA ORIENTALI

Provincia dua.

I. GOANA. Continet loca maritima Africae & Asiae, à Capite Bonæ Spei ad ipsam usque Goanam ditionem. Item, Imperium magni Abassini in Africa;

&

PROVINCIA RUM.

& Regnum Mogoris in Indiâ interiore. Socii 320.

II. MALABARICA, Continet Indiam ulteriorem, tam continentem, quàm varias Insulas, quâ Goâ Malacam, & ad Molucas navigatus; & in iis Regna, Bengalam, Peguanum, Calcutanum, Narfinganum, Jasanopatanum. Socii 190.

IN IAPONIA

IAPONICA Provincia una, continet plurima Regna uni Monarchæ subjecta; & Macaum in portu Chinensi. Socii 140.

IN REGNO SINA RUM

Vice-provincia sub Monarcha proprio. Socii 30.

IN INSVLIS PHILIPPINIS

Provincia una sub Rege Catholico. Socii 128.

IN AMERICA

*Provincia quinque sub Rege Catholico,
& Barbaris nationibus.*

MEXICANA. Continet Americam Septentrionalem, vulgò, Hispaniam novam, & vicinas Provincias, quâ à gradu decimo quarto infra Tropicum Cancrî versus Septentrionem extenditur America. Socii 365.

NOVI REGNI GRANATENSIS. Continet terram firmam, novum Regnum Granatense, novam Andaluziam, Popayarum, & alia circa lineam Æquinoctia-

CATAL. PROVINC.

noctialem ad gradum xiv. versus Septentrionem, Socii 200.

PERUVANA, Continet Peruviam à lineâ Æquinoctiali ad Tropicum Capricorni, Socii 390.

CHILENSIS Vice provincia. Infra Tropicum Capricorni, inter Peruanum Regnum, & Fretum Magalanicum ad Oceanum pacificum. Socii 60.

PARAQUARIÆ Provincia. Inter Fretum Magalanicum, & Brasiliam, infra & circa Tropicum Capricorni, versus Oceanum Atlanticum. Socii 121.

BRASILIAE Provincia intra lineam Æquinoctialem, & Tropicum Capricorni, ad mare Atlanticum. Socii 189.



CATALOGVS
PATRUM ELECTORUM
Congregationis VIII. Generalis
SOCIETATIS JESV
IN CHOATÆ

Anno M. DC. XLV. Novembris XXI.

ABSOLUTÆ

Anno M. DC. XLVI. Aprilis XIV.

<i>Nomen</i>	<i>Ætas</i>	<i>Soc.</i>	<i>Provin.</i>
1. Carolus Sangrius. Generalis. Assistens Italiae.	77.	62.	Vicarius

*PP. Assistentes, & Provinciales, Ordine antiqui-
tatis, ab edita in Societate Professione
quatuor votorum.*

2. Iacobus Sirmundus	86.	69.	V. Prov. Franciæ
3. Stephanus Carlettus	75.	56.	Assist. Galliæ
4. Ioan. Stephanus Menochius	70.	52.	Provinc. Romæ.
5. Antonius Milliaus	70.	54.	Provin. Lugdun.
6. Cæsar à Bosco	69.	57.	Provin. Venetus.
7. Martinus Perez	67.	50.	Prov. Aragon.
8. Gualterus Mundbrodt	69.	52.	Assist. German.
9. Ioannes Gruzvischi	67.	50.	Prov. Lithua.
10. Petrus d'Avilez	65.	50.	Prov. Bœticæ.
11. Fabritius Banfus	68.	50.	Provin. Polon.
12. Thomas Reina	66.	50.	Prov. Siciliæ.
13. Hieronymus Vegado	67.	47.	Prov. Lusita.
14. Franciscus Piccolomineus	61.	45.	Provinc. Neap.
15. Pet. Gonzalez de Mendoza	67.	36.	Assist. Hisp.
16. Odovardus Knottus	63.	39.	Provinciæ Angliæ
17. Iacobus Dinettus	60.	41.	Prov. Campaniæ.
			18. Ioannes

C A T A L O G U S

<i>Nomen.</i>	<i>Ætas.</i>	<i>Soc.</i>	<i>Provin.</i>
18. Ioannes de Mattos	64.	47.	Affist. Lusitan.
19. Ioannes de Pinna	63.	44.	Prov. Toletan.
20. Oliverius Pensa	61.	41.	Prov. Mediola.
21. Andreas Iudoci	58.	40.	Pro. Fland. Bel.
22. Petrus de Mendozza	57.	36.	Prov. Castell.
23. Richardus Mercier	57.	33.	Prov. Tolosan.
24. Ioannes Dakazat	55.	39.	Provinc. Bohem.
25. Gerardus Hansen	53.	37.	Pro. Rheni Sup.
26. Nicafius Vidman	51.	33.	Prov. German.
27. Ioannes le Pessier	49.	34.	Prov. Gall-Belg.
28. Ioannes Ricardus	49.	31.	Prov. Aquitan.
29. Franciscus Serrera	49.	32.	Prov. Sardinia.
30. Georgius Turcovich	49.	28.	Prov. Austr.
31. Ioannes Panhaurfs	50.	29.	Prov. Rheni Inf.

P A T R E S E L E C T O R E S

Provincialium Socii, & Procuratores Pro- vinciarum Indicarum.

32. Alexander Nevola	78.	61.	Siculæ.
33. Bartholomæus Jaquinotius	76.	58.	Campaniæ.
34. Franciscus Aguado	73.	56.	Toletanæ.
35. Ioannes Renaudianus	76.	59.	Aquitaniæ.
36. Ioannes Bourgesius	72.	54.	Gall-Belg.
37. Petrus Casanus	74.	55.	Tolosanæ.
38. Iulius Cæsar Recupitus	64.	50.	Neapolitanæ.
39. Nicolaus Lancitius	71.	53.	Lithuanæ.
40. Andreas Perez	70.	42.	Mexicanæ.
41. Ioannes de Armenta	64.	50.	Boeticæ.
42. Franciscus de Lugo	65.	45.	Castellanæ.
43. Torqualus de Luppis	67.	48.	Romanæ.
44. Ludovicus Meratius	67.	50.	Franciæ.
45. Maximilianus Sandæus	68.	48.	Rheni Infer.
46. Valentinus Mangionius	71.	56.	Romanæ.
47. Florentius de Montmorency	65.	46.	Gallo-Belg.
48. Ioannes Bonetus.	61.	45.	Aquitaniæ.
49. Gulielmus de Wael	62.	43.	Flandro-Belg.
50. Laurentius Forerus	65.	45.	German.
51. Franciscus Pimentellus	58.	39.	Toletan.
52. Fredericus de Tassis	63.	41.	Flandro-Belg.
53. Henricus Silifdonius	63.	43.	Anglic.

54. Fran-

PATRVM ELECTORVM

<i>Nomen</i>	<i>Ætas</i>	<i>Sor.</i>	<i>Provin.</i>
54. Franciscus Carvallius	65.	45.	Goanæ.
55. VINCENTIVS CARRAFA	57.	41.	Neapolit.
56. Benedictus de Soxo	58.	43.	Lithuan.
57. Franciscus Rossanus	62.	43.	Venetæ.
58. Bernardinus Bonicius	62.	42.	Siculæ.
59. Petrus Fonseca	55.	41.	Boeticæ.
60. Ioan. Gubiel. Calaveronus	57.	41.	Mediola.
61. Henricus Morus.	58.	38.	Anglicæ.
62. Ioannes Rhò	56.	41.	Mediol.
63. Benedictus Sequiera	60.	43.	Lusitanicæ.
64. Michael Summerker	65.	43.	Austriæ.
65. Dominicus Langa	55.	41.	Aragon.
66. Christianus Bertschiaides	60.	40.	Austr.
67. Petrus Pimentellus	51.	37.	Castell.
68. Rodericus de Arriago	54.	39.	Bohem.
69. Franciscus Annatus	55.	38.	Tolosan.
70. Goswinus Nickel	63.	41.	Rheni infer.
71. Ioachimus Hamnian	58.	39.	Rheni sup.
72. Alexander Fichettus	57.	38.	Lugdunen.
73. Henricus Lampertter	53.	37.	German.
74. Ioannes Gayettus	57.	37.	Lugdun.
75. Bartholomæus Tafur	54.	38.	Peruanæ.
76. Gaspar Druzbichi	55.	36.	Poloniæ.
77. Petrus Cazræus	56.	37.	Campaniæ.
78. Augustinus Dessi	53.	37.	Sardiniæ.
79. Claudius Diligendes	54.	38.	Fra. ciæ.
80. Iosephus Sequi	51.	36.	Sardiniæ.
81. Franciscus Francus	54.	35.	Aragon.
82. Laurentius Pikarschi	50.	33.	Poloniæ.
83. Nithardus Biberus	52.	32.	Rheni sup.
84. Antonius Franc. Gardim	51.	35.	Iaponiæ.
85. Franciscus de Toro	49.	33.	Novi Reg. Gran.
86. Franciscus Manfredinus	53.	35.	Venetæ.
87. Georgius Schelizius	52.	33.	Bohem.
88. Nunnius da Cunia	52.	35.	Lusitan.
89. Franciscus Baretus	49.	31.	Malabar.

CATAL. PATR. ELECTORVM.

Electione peractâ accesserunt.

Alexander Gottifredus, Secretarius Societatis.

Alfonfus de Ovalle Procurator Chilensis.

Pyrrhus Gherardus Procurator Generalis Societatis.

Circa finem advenit ex Hispaniâ, ubi fuerat æger, & admissus est Ferdinandus de Mendoza. Provinciæ Boeticæ.

PROTESTATIO
AUCTORIS.

CUM URBANVS VIII. Anno
M. DC. XXV. die XIII. Martii
Decretum ediderit, idemque con-
firmarit die v. Iulii Anno M. DC.
XXIV. quo *inhibuit imprimi libros*
hominum, qui sanctitatis, seu Martyrii
fama celebres è vitâ migraverint, gesta,
miracula, vel revelationes, seu quacum-
que beneficia, tanquam eorum interces-
sionibus à Deo accepta continentes, sine
recognitione, atque approbatione Ordini-
narij; & quæ hæctenus sine ea impressa
sunt, nullo modo vult censeri approba-
ta.

Idem autem Pontifex Max. die
v. Iunii Anno M. DC. XLI. ita ex-
plicuerit, ut nimirum, non admit-
tantur *Elogia Sancti vel Beati absolutè,*
& quæ cadunt super personam; benè ta-
men ea quæ cadunt supra mores, & opi-
nionem, cum protestatione in principio,
quod illis nulla adsit auctoritas ab Ec-
clesiâ Romanâ; sed fides tantum sit penes
Auctorem.

1230

Huic Decreto, ejusque confir-
mationi & declarationi, observa-
tiâ ac reverentiâ, quâ par est, insi-
stendo, profiteor, me, hæud alio
sensu, quicquid in Opusculo, cujus
est titulus, SOCIETAS IESV, Ama-
trix, Cultrix, Imitatrix CHRISTI
CRUCIFIXI; seu OCCVPATIO A-
matoris CRUCIFIXI Exēplis è Societa-
te IESV petitis comprobata, refero, ac-
cipere, & accipi ab ullo velle, quàm
quo ea solent, quæ humana dum-
taxat auctoritate, non autem divi-
nâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ,
aut S. Sedis Apostolicæ nituntur:
is tantummodo exceptis quos ea-
dem S. Sedes, Sanctorum, Beato-
rum, ac Martyrum Catalogo ad-
scripsit.

M. S.

SCRI-

SCRIPTORES

Quorum testimoniis uti-
mur, ad fidem exemplis
conciliandam.

A Costa.

Alanus Copus.

Alexander Valignanus.

Aloysius Sidereus.

Ambrosius Spinula.

Andreas Eudemon Ioannes.

Andreas Schottus.

Andreas Victorellus.

Andreas Saussaius.

Antonius de Balinghem.

Arnoldus Rayse.

Auctor libelli trium Martyr. Anglorum.

Benzanius.

*Bulla Canonizat. SS. Ignatii &
Xaverii.*

Claudius Robertus.

Clarus Bonarscius.

Cornelius de Lapide.

Franciscus Sacchinus.

Franciscus Bencius.

Franciscus Crupus.

Georgius Stengelius.

Gravina.
 Hermannus Hugo.
 Hieronymus Platus
 Horatius Tursellinus.
 Iacobus Bidermannus.
 Iacobus Damianus.
 Iacobus Gordonus.
 Iacobus Payva.
 Iacobus Fuligattus.
 Iacobus Gualterus.
 Imago primi sæculi Societatis.
 Ioannes Petrus Maffeius.
 Ioannes Rhò.
 Ioannes Polancus.
 Iosephus de Castro.
 Ioannes Robles.
 Ioannes Eusebius Nierembergiius.
 Laurentius Surius.
 Leo Henriquez.
 Ludovicus de Palma.
 Ludovicus Richeomus.
 Littera } Indica,
 } Iaponica.
 } Chinenses.
 Littera annue Societ.
 Ludovicus de Ponte.
 Maurolycus.

MSS. Rom.

Nicolaus Godinius

Nicolaus Orlandinus.

Nicolaus Trigantius.

Oddo Gifsey.

Oultreman.

Paulus Bombinus.

Petrus Biverus.

Petrus Iarricius.

Petrus Ribadeniera.

Philippus Alogambe.

Pitfeus.

Sebastianus Barretanus.

Silvester Petra-Sancta.

Tabellarium Romanum.

Theophilus Raynaudus.

Thomas Bozius.

Virgilius Ceparius.

NOMENCLATOR
Eorum Patrum Fratrumque
Societatis IESV, quorum
exempla continentur
hoc Opusculo.

S. IGNATIVS LOYOLA.
Hispanus, Cantaber.

Aloysius Gonzaga, Italus

Alphonsus Paciecus, Lusitanus.

*Alphonsus Rodriquez, Hispanus, Coad-
jutor, Ianitor.*

Ambrosius Fernandez, Lusitanus.

Antonius Gautier, Gallus.

Antonius Madridius, Hispanus.

Antonius Almeida Lusitanus.

Antonius Franciscus.

*Antonius Lega, Italus, Coadjutor, Auri-
fex.*

Assistentes Praepositi Generalis.

Asiani PP.

Arnoldus Cathius, Belga, Friso.

Augustinus de Castro, Hispanus.

Augustinus Canus, Mexicanus.

Augustinus de Quiros, Hispanus.

Alexander Cardinalis Vrsinus, Italus.

Bal-

NOMENCLATOR

Balthasar Barriera, Lusitanus.
 Benedictus Palmius, Italus.
 Bernardinus Realinus, Italus.
 Bernardinus Zanonius, Italus.
 Blasius Plozzynius, Polonus.
 Brasillum Catechista & Magistri.
 Brunus à Sancta Cruce.
 Carolus Scribanus, Belga.
 Catechista Japonum, & Sinarum.
 Claudius Ianius, Allobrox.
 Claudius Aquaviva, Italus.
 Consalvus Mederius, Lusitanus.
 Consalvus Silveria, Lusitanus.
 Consalvus de Tapia, Hispanus.
 Conimbricenses Socii.
 Cosmus Turrianus, Castellanus.
 Didacus Andrada, Lusitanus.
 Didacus Martinez, Hispanus.
 Didacus Ruiz de Montoya, Hispanus.
 Doctores Theologiae Societatis.
 Electores Praepositi Generalis.
 Emmanuel Godinus, Lusitanus.
 Europaei Socii.
 Ferdinandus Osorius.
 S. Franciscus Xaverius, Navarrenus.
 B. Franciscus Borgia, Hispanus.
 Franciscus Bencius, Italus.

Fran-

NOMENCLATOR.

- Franciscus Butonius, Gallus.
 Franciscus de Mendoza, Lusitanus.
 Franciscus Aquillonius, Belga.
 Franciscus Folianus, Rhetus,
 Franciscus de Enzinas, Hispanus.
 Franciscus Aranea.
 Florida Cultores.
 Gandienses Socii.
 Gaspar Barzaeus, Zelandus.
 Gaspar Laertes, Hispanus.
 Gaspar Paranympbus, Italus.
 Georgius Federus, Germanus.
 Gerardus Paesman, Belga.
 Gulielmus Sattamochius, Gallus, Coad-
 jutor, Sutor.
 Gulielmus Wolff Metternich, Germanus.
 Henricus Garnetus, Anglus.
 Henricus Henriquez, Lusitanus.
 Henricus Morseus, Anglus.
 Hieronymus de Hiquera, Hispanus.
 Iacobus Salesius, Gallus.
 Iacobus Gordonus, Scotus.
 Iacobus Wiecus, Polonus,
 Iacobus Alvarez de Paz, Hispanus.
 Iacobus Ghisai, Iapon.
 Iacobus Martinius, Hispanus.
 Iaponum Catechista.

NOMENCLATOR.

Ignatius Martinez, Lusitanus.
Ignatius Fiaglio, Lusitanus,
Indorum Magistri.
Ioannes Berckmans, Belga.
Ioannes Cardim, Lusitanus.
Ioannes Magirus, Germanus.
Ioannes Vremannus, Dalmata.
Ioannes de Ribera, Indus Occid.
Ioannes Ogilbeus, Scotus.
Ioannes Gondinus, Hispanus.
Ioannes Rebellus, Lusitanus.
Ioannes Baptista Vitellus, Italus.
Ioannes Fernandez, Hispanus.
Ioannes Nunnius, Lusitanus.
Ioannes Wintershoven, Belga.
Ioannes Plaza, Indus incolatu.
Ioannes Baptista Boddens, Belga.
Iosephus Anchieta, Canarinus.
Iulius Fatius, Italus.
Iulius Mancinellus, Italus.
Leonardus Lessius, Belga.
Ludovicus Ballester, Hispanus.
Martinus Gutierrez, Hispanus.
Melchior Nunnius Barettus, Lusitanus.
Mutius Vitellescus, Italus.
Nicolaus Cyrowski, Polonus.
Octavius Cajetanus, Siculus.

NOMENCLATOR

- Organtinus Braxiensis, *Italus.*
 Paulus Camers, *Italus.*
 Paulus Ioseph Arriaga, *Hispanus.*
 Parnormit. Mahumetanorum instructores.
 Paulus Michi, *Iapon.*
 Patres primi Societatis.
 Petrus Antonius Spinellus, *Italus.*
 Petrus Berna.
 Petrus Sanctius, *Hispanus.*
 Petrus Ferdinandus, *Lusitan.* Coadjutor,
 faber lignarius.
 Petrus Ximenez, *Hispanus.*
 Philippus Hannotel, *Belga.*
 Philippus Nottin, *Belga.* Coadjutor.
 Robertus Bellarminus, *Italus.*
 Robertus Soutwellus, *Anglus.*
 Rudolphus Aquaviva, *Italus.*
 Socii Indorum Apostoli.
 Simon Rodericus *Lusitanus.*
 Thomas Hollandus, *Anglus.*
 Thomas Saillius, *Belga.*
 Thomas Sanchez, *Hispanus.*
 Transilvania Socii.
 Valentini Socii in Hispania.
 Valerius Reginaldus, *Burgundus.*
 Vincentius Rhegius, *Siculus.*
 Vincentius Salernitanus, *Italus.* frater.

FINIS.

SOCIETAS IESV
 AMATRIX, CVLTRIX, IMITATRIX
 CHRISTI CRVCIFIXI.

DECAS I.

I.

AMATOR CRVCIFIXI

*Promptè, & alacriter Christo Crucem
 bajulanti in servum perpetuum sese
 offert, dicat, consecrat.*



L fecit S. IGNATIVS LOIOLA, Societatis IESV Conditor, quando visum illud celeberrimum CHRISTI D. CRVCEM bajulantis, ei Ur-

I.
 IGNATIVS
 LOIOLA
 Hispanus.

bem ineunti fuit objectum, De quo, post vitam Viri Sancti à Romanâ Curiâ recognitam, & gravi iudicio comprobata, ac tabulis demum publicis consignatam, ita breviter, ac dilucidè scribit verax & elegans Historicus *a*.

„ Proximè Urbem, Socijs fortè in viâ
 „ subsistentibus, usu venit, ut solus in
 „ ædiculam desertam secederet. Ibi cum
 „ in precibus animus vehementer ex-
 „ arsisset, cælesti quadam voluptate rap-
 „ ptus, vidit illicò, audiitque rem mi-

A

rificè

„ rificè jucundam. Pater enim æternus
 „ coruscâ nube circumfusus CHRISTO
 „ Filio propter assistenti CRUCEMQUE in
 „ humeris gestanti IGNATIVM ac So-
 „ cios suavissimè commendabat, eique
 „ illos singularim velut emancipatos cu-
 „ piebat.

„ Visus est annuere Parenti Filius, at-
 „ que eos in clientelam recipere sese
 „ ostendit. Mox unâ cum CRUCE ad
 „ IGNATIVM conversus, ore suavitatis
 „ amorisque pleno, EGO VOBIS, inquit,
 „ ROMÆ PROPITIUS ERO. Attulit id
 „ ostentum IGNATIO haud dubiam vim
 „ gaudiorum: quo etiam Socijs comme-
 „ morato, illis ad pericula laboresque
 „ obeundos, nova, quod par erat, alacri-
 „ tas incessit.

„ Ex eo die, mirum est, quàm inhæ-
 „ serit animo nomen IESV. Illuc IGNA-
 „ TIVS, ut in Ducem vitæ: illuc assiduè
 „ ut in exemplum ferendæ CRUCEIS ad-
 „ spicere: indidem Religionis suæ con-
 „ stituit Titulum figere. Nec pugna-
 „ vit illius desiderio Pontifex, sed eam
 „ brevè pòst SOCIETATEM IESV inscripsit.

ME non later, repertum fuisse hoc
 pleno malignitatis seculo Scriptorem,
 hominem Ordini nostro infestissimum,
 qui malignitate solitâ in Ignatium, non
 est veritus, ut multa alia, sic visum
 hoc nobilissimum, & omnium histo-
 riarum

AMATRIX CRUCIFIXI. 3

narum monumentis testatissimum per-
negare, & veluti fabellam mundo ob-
trudere. Verum, hominis istius invidi-
ac virulenti livor, malignitas, ac impu-
dentia satis in lucem est protracta; &
confutata abundè inscitia, scripto de
hac re, & similibus libro apologetico: è
quo unum desumo ad firmandam hanc
Praxim, & Exemplum AMATORIS CRV-
CIFIXI DOMINI roborandum b.

Est autem id particula exhortationis
domesticæ, quam habuit Iacobus Lay-
nius Ignatij in itinere Romano Socius,
cum Romæ diceret ad Congregatos,
Anno M. D. LX. & est exscripta è Codice
Concionum Laynij, qui in Tabulario
Romano asservatur. ibi pagina XI. sic
loquitur Laynius.

Primum fundamentum hujus appellationis (SOCIETATIS IESV, de quâ dicere ordiebatur) illud, ut mihi videtur, Patri Nostro fuit, quod nunc adferam. Cum Romam Senensi viâ veniremus, & Pater multis Spiritualibus motibus, præsertim in Eucharistia abundaret, Magister Faber & ego quotidie Sacrum faciebamus: Ipse non faciebat, sed communicabat.

Dixit ergo mihi, impressa sibi à DEO hæc verba: Ego vobis Romæ propitius ero. Quorum cum intelligentiam nescirem, Pater Noster dicebat: Ego nescio quid nobis futurum sit: forsan CRVCI Romæ affige-

mur. Iterum dixit, quod visus sibi esset videre CHRISTVM sublatâ in humeros CRUCE, & propè ipsum Æternum Patrem, qui illi diceret: Volo ut hunc in SERVVM tuum accipias. Itaque IESVS eum recipiebat, dicebatque: VOLO VT MIHI SERVIAS.

Addit præclarus Apologiæ disertissimæ Scriptor. Anno hujus seculi xxxix. ad iv. Kal. Octobr. coram frequentissimâ nobilissimaque omnium concione, solennem inter exacti nostri primi Seculi gratulationem, & ipsa Missarum solennia facundus Ecclesiastes noster de illo Viso, de illis promissis ita differuit, ut, & omnium plausu tunc fuerit exceptus; & quod multo amplius est, ab ipsomet VRBANO VIII. cum lætitiâ illam suâ nobis præsentiam reddidit augustissimam, pro palam fuerit laudatus. Quam profectò laudem nunquam retulisset, si per summam audaciam, fabulas in illo præclarissimo Orbis terrarum congressu in medium attulisset.

a Iacobus Bidermannus lib. 1. de Vita & Gloria S. Ignatij, cap. 14. num. 80. post Ribadeneriam, Maffeiûm, Orlandinum.

b Ioannes Rhô adversus ineptias & malignitatem libelli Pseudo-Constantiniani de S. Ignatij Institutione, & Exercitijs Qui usus istud confirmat ex Historiâ Ioannis Polanci, de Vita & Societatis Ortu, c. 4. & ex Orlandini lib. 10. num. 60. & ex Adversarijs S. Ignatij, quæ supersunt Romæ in Tabulario Societatis, & ex veterum imaginum fide.

AMATRIX CRUCIFIXI. §

*fide, & ex Tabulâ Romani Altaris, in æde Professo-
rum, quam Pontifex Urbanus VIII. de genu venera-
tus est, & religiose ab alijs colitur, in qua eadem
repraesentatur Historia.*

II.

AMATOR CRUCIFIXI

*Curat, ut in Insignibus, & Imaginibus
Scuti gentilitij emineat Crux, sub quâ
tuta lateat familia.*

IGNATIO Fundatori haud dubiè de-
bet SOCIETAS JESV, quod in Scuto
ejus gentilitio, ut sic appellemus Si-
gillum, magnum, parvum, minimum,
& maximum, quo utuntur Superiores
familix, ostendat imprimis tribus effor-
matum litteris nomen IESVS.

2.
IGNATIVS
LOIOLA
Hispanus.

Nomen cum violis, rosisque natum,

Nomen nectare dulcius beato.

Tum verò infernè tres Clavos habeat,
è fundo, ut è corde protuberantes: de-
nique quod supernè CRUX emineat. Cur
ita? quia, sensu Fundatoris,

SVB CRUCE TVTA LATET

SOCIETAS IESV.

Prisca superstitio, quò tuta lateret ab hoste,

Mentitos voluit marmora ficta Deos.

Sic Siculi Cererem, Triviam coluistis Iones:

Templa sua Thebis Bacchus in urbe tulit.

*Iuno Agamemnonias quondam est tutata My-
canas,*

Ortaque ab antiqua Punica regna Tyro.

6 SOCIETAS IESV

*Palladis auxilio veteres crevistis Athena,
Palladis auxilio Dardana terra stetit.
Delos Apollinea est, & Phocis, & Aonis ora:
Et Paphos, & Veneri Sacra Cythera sua est.
Roma suum varijs vario sub nomine templis,
Vnum praecunctis est venerata Iovem.
O bene, quod nostra scelus hoc procul exulat
evo!*

*Auspicio tuti quod meliore sumus!
Quisque sibi titulos, & quae vult nomina
quarant:
Nostra cohors Domini SVB CRUCE TV-
TA LATET.*

Imago primi seculi Societatis IESV Prolog. p. 48.

III.

AMATOR CRUCIFIXI

*Loca Christi Passi vestigijs signata, &
Sanguine rigata invisit; ac frequenter
cruciatus acerbissimos meditans la-
crymatur.*

3.
IGNATIVS
LOIOLA
Hispanus.

IGNATIVS LOIOLA, postquam in Hi-
spania, ad DEVM conversus, summo
pœnitentiæ rigore, corpus attrivisset, ob
hanc potissimum causam longissimâ ac
periculosissimâ per terram & mare pro-
fectione Ierosolymam peregrinatus fuit,
ut CRUCIFIXI SANGVINE dedicata loca
coràm venerabundus inviseret, & ma-
ximo-

CVLTRIX CRVCIFIXI. 7

ximorum ejus cruciatuum, atque amoris monumenta, oculis usurparet, & oscularetur; desiderabatque conversionis initio ijs religiosè colendis visendisque, quod supererat vitæ traducere. Quantum ille ibi fuderit lacrymarum, & quanto animi sui sensu, magna olim revertendi spe inde, penè violenter abstractus fuerit, fideliter sine exaggeratione referunt qui de Ignatij rebus scripserunt Auctores boni.

Sunt etiam qui asseverant, hoc IGNATIO proprium fuisse, ut de CRVCIFIXI cruciatibus vulneribusque nunquam non magno cum lacrymarum imbre meditaretur. Et credibile est toto vitæ tempore ubicumque esset, quicquid ageret, aut moliretur, illius animo semper insedisse ea visa, per quæ semel, iterum atque tertio Dominus videndum illi se objecit eâ maximè specie, quâ olim PASSIONIS tempore per Ierosolymam raptabatur, quaque sublatâ in humeros CRUCE ad victoriæ suæ theatrum, Calvariæ rupem ascenderat.

Petrus Ribadeneira lib. 1. Vita cap. 11. Bidermannus cap. 4. & 5. Maffeius, Orlandinus. Ioan. Rho Hister. Varia lib. 3. cap. 2.

IV.

AMATOR CRUCIFIXI

Si instar Christi Passi comprehendatur, ut reus, si ludibria vulgi patiatur, si indignissimè multetur, si pugnis calcibusque concidatur, si ad tribunal raptetur, si interrogatiunculis fatigetur, silet, Crucifixi sui memor.

4.
IGNATIVS
LOIOLA
Hispanus.

ITA se habuit, & ut idem faciant Socij exemplo docuit, potens opere & taciturnitate IGNATIVS, de quo sic accepimus, fide, ac penè verbis utor Scriptoris domestici *a*. Post Ierosolymitanam peregrinationem repetiturus Hispaniam, ab Hispanis, qui bellum in Cispinâ Galliâ grave cum Gallis per id tempus gerebant, pro exploratore capitur. Nec mora pertentando fastidiosissimè, etiam calceis excussis, & inspecto nudo corpore diu vexatum, tandem sine tuniculâ suâ, ducunt ad Præfectum, ut is exprimat vi, quæ cæleri putabant. Magnus hic CHRISTI Domini Amator jam pridem vitam ejus pro normâ proposuerat formaque ad quam fingeret, atque exigeret suam; atque adeò existimans in familiari sermone ingenuâ CHRISTVM & Apostolos simplicitate

CVLTRIX CRVCIFIXI. 9

PLICITATE USOS, hanc etiam ut imitaretur, consueverat omnes promiscuè numero multitudinis, absque ambiciosis Dominationis, & id genus præfationibus appellare.

Subijt igitur, dum ita captus ducitur id tempus esse, quo aliquid de ea simplicitate remitteret, & Præfectum affari urbanius expediret. Quam cogitationem Vir mentis suæ custos acerrimus, dum, uti solebat semper, ad rationis iudicium vocat, diligenterque, unde oriatur, quò ferret explorat, animadvertit sensum esse imbecillitatis humanæ, vexationem ac tormenta reformidantis. Tum secum ipse, itane sumus ad injurias, ita ad imitationem CHRISTI PASSI parati? Castigabo te ego perversè terror. Et continuò tanquam per Ierosolymæ vias CHRISTVM D. vinctum agi videret, latissimus per oppidum longissimo tractu vadit: coramque Præfecto ne pileolum quidem à vertice submoveret.

Tum ex illo Præfectus, cujas sit? quaerit: tacet Ignatius. Unde veniat? silet Ignatius. Nomen sciscitatur: nihil respondet Ignatius: denique, ad interrogationes varias multiplicesque, fixis in terram oculis, animo in cælum tacitus perseverat. Ad unam illam: Es ne explorator? tantum inquit: non sum, ne justam injuriæ causam dedisse videretur.

Quamobrem Præfectus irâ percitus milites increpat, quod hominem insanum ad se adduxissent, & continuo mitti iussit. At milites increpatione irritati pugnis taciturnum & calcibus tundunt, varijsque contumelijs, indignum in modum afficiunt. Narrabat postea suis Ignatius, mirabilem quandam se id temporis consolationem percepisse, cum ejus ignominia veniret in mentem, quâ CHRISTVS PATIENS & ad CRUCIFIXIONEM tendens ab Herode ejusque militibus est affectus.

a Nicolaus Orlandinus lib. 1. Hist. Societ. à num. 44. Ribadeneira lib. 1. cap. 12. Maffeijs lib. 2. cap. 15. Biderman, lib. 1. cap. 6.

V.

AMATOR CRUCIFIXI

*Ad imitationem Christi Stultus haberi,
& existimari desiderat.*

5.
IGNATIVS
LOIOLA
Hispanus.

QUI appetit derisiones, contumelias & ludibria perpeti, quibus afficiuntur ab insaniente Mundo illi, qui mentis ægritudine & delirio laborant, quales sunt phrenetici, furiosi, insani; is eadem amoris erga CHRISTVM PASSVM flammâ exæstuans, facile in se excitat desiderium ardens, ut STULTVS habeatur, & existimetur. Quod plurimum
condu-

IMITATRIX CRUCIFIXI. II

conducere ad perfectionem vite religio-
sæ opinabatur **IGNATIVS LOIOLA**, qui
Candidatis **SOCIETATIS IESV**, quos opta-
bat omnes esse, aut fieri inflammatissi-
mos **CRUCIFIXI AMATORES** hæc præle-
gi volebat, & ab ijs identidem re-
cogitari a.

„ **DILIGENTER** animadvertant oportet,
„ magni faciendo, summiq̄ue mo-
„ menti id esse ducendo in conspectu
„ Creatoris ac Domini Nostri quan-
„ toperè juvet ac conferat ad vitæ spiri-
„ tualis profectum, omninò, & non ex
„ parte abhorre ab omnibus, quæ
„ Mundus amat, & amplectitur, & ad-
„ mittere, & concupiscere totis viribus,
„ quicquid **CHRISTVS** Dominus noster
„ amavit & amplexus est.

„ Quemadmodum enim mundani ho-
„ mines, qui ea, quæ Mundi sunt se-
„ quuntur, & diligunt, & quærunt ma-
„ gnâ cum diligentia, honores scilicet,
„ famam, magni nominis existima-
„ tionem in terra, sicut Mundus eos
„ edocet: sic, qui procedunt in spiritu, &
„ seriò **CHRISTVM** Dominum No-
„ strum sequuntur, amant, & ardentè
„ exoptant, quæ ijs omninò contraria
„ sunt, indui nimirum eadem veste, ac
„ **INSIGNIBVS** Domini sui, pro ipsius
„ amore ac reverentiâ.

„ Adeò, ut, si sine offensione ullâ Di-

„vinæ Majestatis, & absque proximi
 „peccato foret, vellent contumelias,
 „falsa testimonia, & injurias pati, ac
 „SIVLTI HABERI & EXISTIMARI
 „(nullâ tamen ad id per eos datâ occa-
 „sione) eò quòd exoptant assimilari, &
 „imitari aliquo modo Creatorem, &
 „Dominum Nostrum IESVM CHRI-
 „STVM, ejusque vestibus ac INSIGNI-
 „BVS indui: quandoquidem illa Ipse,
 „propter majorem profectum nostrum
 „spiritualem induit, nobisque exem-
 „plum dedit, ut in omnibus, quoad
 „ejus fieri poterit, Divinâ gratiâ aspi-
 „rante, Eum imitari & sequi, cùm vera
 „sit Via, quæ ducit homines ad vitam,
 „velimus.

EXEMPLO suo in hoc ardentissimo
 desiderio præivit discipulis optimus
 Magister IGNATIVS, de quo sic Riba-
 deneira *b*: *Ludibrio omnibus se cupiebat esse,*
& si animo indulgere suo voluisset, nudus,
despicatus, & oppletus sordibus, ut INSA-
NVS haberetur, per vias ambulasset. Sed hunc
humilitatis affectum proximorum utilitas re-
primebat, & caritas. Cui, ut fructuosius
deserviret, auctoritatis etiam suæ ac personæ
rationem habuit.

Maffei quoque *c*: *Quoties ingesta in*
illum convitia & ludibria reputaret apud se,
non modò rei atrocitate permovebatur, ut
multi, sed etiam accendebatur generoso quo-
dam

CVLTRIX CRVCIFIXI. 13

dam imitandi studio, atque in se ipsum, quasi tanti sceleris auctorem acerrimè exardescibat. Ac nisi eum cohibuisset existimationis ratio propter salutem aliorum, SIMVLATA DEMENTIA, ad plebem in se concitandam, nudus, onustusque cornibus, aut alio fædo corporis habitu prodire non dubitasset in publicum, & incessantes cano vel stercore pueros, vocesque improbas, & omnes alias insana multitudinis contumelias libentissimè pertulisset.

Eiusdem illud fertur monitum amico datum: *Sis Mundo DEMENS, ut sapias Domino, quia quod STVLTVM est DEI Sapiëntius est hominibus.*

^p a *In examine cap. 4. §. 44. Summarij Reg. 11.*

b *Lib. 5. cap. 3. c Lib. 3. cap. 3.*

VI.

AMATOR CRVCIFIXI

*Imitatione Christi præ gaudio eligentis
Crucem, Humilitatis gradum
supremum conscendit.*

IN hoc consistit perfectissima **CHRISTI PASSI** imitatio, atque hominis Christiani ex amore operantis summa perfectio, ad quam suos perducere conabatur **IGNATIVS**, proponens ijs tres **GRADVS HVMILITATIS**; quorum **Supremum Amatores** suos docuit exemplo

6.

**IGNATIVS
LOIOLA
Hispanus.**

emplo in PASSIONIS SCHOLA Magister
cælestis, quando *proposito sibi gaudio*, ele-
git, sustinuitque CRUCEM, *confusione con-*
temptâ a.

PRIMVS GRADVS est ad salutem ne-
cessarius; ut me penitus subdam Divinæ
legi observandæ, utque ne mundi qui-
dem totius oblato mihi dominio, vel
extremo vitæ discrimine objecto trans-
grediar ex deliberato mandatum ullum
divinum, aut humanum, quod quidem
peccati mortalis vinculo nos obliget.

Hic Gradus tantam subjectionem,
quâ quis se mandatis DEI, Ecclesiæ, &
Superiorum subicit, & tantum bono-
rum temporalium continet, ut nec om-
nium bonorum prosperitarumque hujus
mundi spes, nec omnium adversitarum
timor me ad aliquod peccatum mortale
inducere possit.

SECUNDVS est majoris perfectionis,
ut fixo animo ad divitias, paupertatem,
honorem, ignominiam, brevitatem vitæ
ac longitudinem æquè sim propensus,
ubi æqualis est divinæ laudis, & salutis
meæ occasio, utque nulla humanæ,
quantæcumque felicitatis, vel propriæ
mortis conditione propositâ adducar
unquam, ut culpam licet venialem tan-
tùm decernam admittere.

GRADVS iste tantum bonorum tem-
poralium contemptum continet, ut,
quantum

IMITATRIX CRUCIFIXI. 15
quantum in me est, ita me dispositum
inveniam, ut, posita æquali DEI gloriæ,
& meæ salutis occasione, non sentiam
majorem affectum ad divitias, quàm ad
paupertatem; ad honorem, quàm ad
ignominiam; ad longam, quàm ad bre-
vem vitam. Tantam præterea Gradus
hic habet subjectionem circa mandata
DEI, ut pro nulla re mundi, propositâ
etiam morte, peccatum veniale delibe-
ratè velim committere. Quod requirit
conformitas cum DEI voluntate, non
tantum, quoad graviora DEI præcepta,
quæ ad gravem culpam, sed etiam quo-
ad minora, quæ non nisi ad leve & ve-
niale peccatum obligant.

TERTIUS Humilitatis Gradus est ab-
solutissimæ, qui in eo consistit, ut, etiam si
nullo superaddito, laus DEI par foret;
ad majorem tamen imitationem CHRI-
STI, eligam potius cum eo paupere,
spreto, & illuso, paupertatem, contem-
ptum, & **INSIPIENTIÆ** titulum ample-
cti, quàm opes, honores, & sapientiæ
æstimationem.

Hic Gradus includit præcedentes,
atque illis aliquid superaddit: deinde
non tantum supponit indifferentiam ad
paupertatem, & ignominiam, & ad re-
liqua, quæ Mundus contemnit, & odit,
sed & inclinationem ad illa; & non tan-
tum requirit subjectionem, quoad man-
data

data DEI, tam majora, quàm minora, sed etiam quoad sensum & beneplacitum Divinæ voluntatis, desiderando illud iter inire, quod ipse nobis suo exemplo ostendere dignatus est. Nimirum, ut sincerus AMATOR CRUCIFIXI, se CHRISTOPASSO, & in CRUCE extenso magis conformet, vivamque se ejus imaginem exhibeat.

ITAQUE, quamvis Amator CRUCIFIXI possit admittere honorem, & divitias absque peccato veniali; immò non solum sine peccato, sed etiam eo casu, quo ijs admittendis aut rejiciendis major DEI gloria, aut major animæ ejus utilitas se non proderet; nihilominus, quo se magis conformet, similemque CHRISTO PATIENTI efficiat, cupit, & eligit magis paupertatem cum CHRISTO, quàm divitias; & optat magis injurias & opprobria cum CHRISTO ijs saturato, quàm Mundi hujus vanos honores; magisque desiderat contemni, & pro IESU CHRISTI amore, qui albâ indutus veste irrisus fuit, STULTVS haberi, quàm in oculis Mundi sapiens & prudens videri.

HÆC est arcana perfectionis, patientiæque disciplina, nisi Philosophiam malis dicere, secundum quam, ut eleganter differit præclarus Orator c, qui
 „ CRUCIFIXO est Devotus, ex duabus
 „ se offerentibus semitis, quarum utraque

AMATRIX CRUCIFIXI. 17

„ que pari tum propriæ utilitatis , tum
 „ divinæ gloriæ compendio , ducat ad
 „ felicitatem , ita tamen , ut altera rosas
 „ vernet , perque hujus vitæ commoda
 „ omnia , honorum gradus , famam , glo-
 „ riamque nominis ducat , altera verò
 „ spinis undique obsita , labores , crucia-
 „ tus , infamiamque maximam adferat
 „ ingredientibus , hanc nihilominus
 „ præfert , & ingreditur ; nulla quidem
 „ aliâ causâ , nisi ut Cruciatuum CHRIS-
 „ TII Domini imitationem aliquam
 „ præferat.

„ Quod non ardentissimè amantibus
 „ absurdum profectò videri posset : quis
 „ enim ex spinis ea poma carpat , multâ
 „ cum manuum laceratione , quæ po-
 „ test in rosâ colligere ? Sed abditam
 „ hanc & vulgo ignoram imitandi Ma-
 „ gistrum doctrinam , ex assidua Cru-
 „ ciatum CHRISTI contemplatione ,
 „ & inflammatissimo erga CRUCEM ac
 „ CRUCIFIXVM amore IGNATIVM hau-
 „ sisse non ambigas.

a Libello Exercitiorum *Hebdom. 11.*

b Ludovicus de Palma in *Praxi libelli Exer.*

c Ioannes Rhó *Histor. Virt. lib. 3. cap. 2.*

d *Hebraeor. XII. 2.*

VII.

AMATOR CRUCIFIXI

Passionem Domini, ejusq̄ meditationem, ut Cardinem sanctitatis omnis, omnisq̄ virtutis ceu Venam habet.

7.
FRANCI-
SCVS XAVE-
RIVS Na-
varrus.

FRANCISCVS XAVERIVS vim illam laboribus, ærumnisque omnibus majorem, non alia tincturâ firmatam habuit, quàm assiduâ CHRISTI Cruciatuum, eaque ferventissimâ quadam meditatione: nam eam SCVTVM CORDIS appellavit Propheta *a*. Et quidem in illis contemplandis strenuè sese illum exercuisse accepimus; cùm eos perpetuò animo volueret, illisque penitus introspiciendis legitima quotidie commentandi spacia imputaret; illud crebrò suos admonens, minimè ab hac exercitatione cessandum, quæ CARDO est omnis sanctimonix. Nullas unquam tam divites metallorum Venas mortalium aperit avaritia, quas eadem tandem non exhauriat: VENA PASSIONIS Dominicæ virtutum omnium atque exemplorum adeò dives est, ut æternùm fodientibus sufficiat.

a Threnorum 3. ver. 55. Ex vita & relatione La. n. Rhè Histor. var. lib. 3. cap. 2.

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

Hortatur milites, ut pro Christo Crucifixo fortiter pugnam capessant; & inter pugnandum, tanquam oculis obversantem intueantur.

ITA ut honorarent CRVCIFIXVM milites Christiani, & ab illo animarentur monebat FRANCISCVS XAVERIVS, Concionatoris militaris exemplar perfectissimum, cum Malacæ in Accenos, Christiani nominis hostes, classem ipse, spiritus fervore actus, compararet. Nam omnibus, qui ad bellum destinati erant in templum congregatis hunc in modum disseruit.

8.
FRANCI-
SCVS XA-
VERIVS
Navarræus.

Se quidem, quia corpore eos sequi non liceat, animo ac precibus, quibus liceat prosequuturum. Ipsos verò sic affectos, animatosque esse oportere, ut pro CHRISTO DEI Filio in CRUCE ipsorum causâ mortuo, mortem sibi omni voto expetendam putarent. Quocirca ponerent sibi ante oculos illam juxta amabilem miserabilemque Domini sui speciem, eamque animo intuentes capesserent bellum, inirent prælium, confererent cum barbaris manus. Porro, inter pugnandum Divini Numinis implo-

rarent

rarent auxilium, satis fidentes, DEVM pro ipso pugnaturis præsto futurum.

Protinus illi divino instincti Spiritu, certatim suâ sponte profitentur, se pro CHRISTO, si res ferat, mortem appetituros. Ergo, quia CHRISTO Sacramentum duxerant, honorifico sanè vocabulo, IESV CHRISTI Cohors à Xaverio appellati, ac pleni bonæ spei, multis civium prosequentibus ad classem deducti sunt.

Cum pugnandum esset, Præfectus impensè monuit Lusitanos duces militesque subiret animos dies ille, quo die ante aram suâ sponte pro CHRISTI religione cultuque capita sua devoverint, ex quo IESV CHRISTI cohors fuerint appellari. Obversetur oculis Xaverius pij belli auctor pro ipsorum salute, ac victoriâ supplicans. Ne excideret salubre ejus præceptum, ut CHRISTVM DEI FILIVM CRVCI pro ipsis affixum intuentes, pro ipsius gloriâ, vitæ immemores, fortiter capesserent pugnam.

Meminissent, quod oblivisci non possent, Sacramentum ab se CHRISTO Regum Regi bis dictum, bis vitas & capita sponte devota. Pro DEO piè pignantibus divinam utique opem non defuturam. Sic factū: nam his instructi artibus egregiam de barbaris victoriam reportarunt.

a Horatius Tursellinus in vita Xaverij lib. 3. c. p. 7. & 10. Nicolaus Orlandinus Histor. Societ. lib. 7. a num. 84.

IX.

AMATOR CRUCIFIXI

*Dilecto suo fidens, Crucis signo super
aquam facto, ex salsa dulcem reddit.*

FRANCISCUS XAVERIUS, cum ad Si-
nas in magnâ navi, quâ quingenti
vehebantur, navigaret, cessaverant adeo
venti, ut quatuordecim diebus navis eo-
dem loco hæeret immota; cumque in-
ter ceteras difficultates, aquæ penuriâ
valdè laboraretur, multi que jam siti de-
ficerent, Vir Sanctus omnia navis vasa
marinâ aquâ impleri iussit, fusisque in-
stanter ad DEVM precibus, super ea SI-
GNVM CRUCIS fecit; ac repenti aqua
illa salsa, dulcis salubrisque effecta est.
Quo miraculo plures, qui in navi erant,
infideles crediderunt in DEVM. Quin
etiam aquæ illius, quæ abundè super-
fuerat, potu, plurimi per multas India-
rum provincias, varijs, quibus vexaban-
tur, morbis sanatifuerunt.

9.
FRANCI-
SCVS XA-
VERIUS
Navarraus.

*Bulla Canonizationis S. Francisci Xaverij,
Urbani VIII. incipit: Rationi congruitur, fol. 6.*

X.

AMATOR CRUCIFIXI

*Effigie Crucifixi ad collum suum, &
supra pectus pendere solita maris
tempestatem sedat.*

IO.
FRANCIS-
CVS XA-
VERIVS
Navarræns.

CVM FRANCISCVS XAVERIVS inter
insulas Molucas navigaret, sævissi-
ma fuit orta maris tempestat, ad quam
sedandam CRUCIFIXI imaginem, quam
collo appositam gestare solebat, vndis
immisit, quæ vi procellæ è manibus ex-
cussa in profundum maris, non sine
magno ejus mœrore delapsa fuit. Sed
lætificavit Dominus animam servi sui:
nam cum ad terram applicuisset, ac se-
cus litrus, iter faceret, marinus cancer
ex vndis subito profiliit, atque ante pe-
des ipsius stetit, eandem CRUCEM mor-
sibus elevatam gerens, quam Franciscus
in genua provolutus devotè suscepit,
ac diuturnâ oratione, ob tam egregium
munus, DEO gratias egit.

Bulla Canonizationis, fol. 7.

DE.

DECAS II.

I.

AMATOR CRUCIFIXI

*Quotidie de uno aliquo dolore Christi
Patientis meditationem instituit.*

CLAVDIVS IAIVS Allobrox (vulgo Sabaudus) unus ex decem primis Patribus Societatis IESV, qui & Angelus DEI, & Pater, Patronusque Catholicorum, & à Petro Canisio APOSTOLVS GERMANIÆ fuit appellatus, studio pre-cationis, & meditationis imprimis excelluit. Præter alia autem singulis diebus, tum caput è ceterâ CHRISTI vitâ pro tempore, quod repræsentabat Ecclesia, tum unum ex PASSIONE DOMINICA de Sacris Cruciatibus retra-ctabat.

Ex quo tanta ejus extitit caritas, & propensio voluntatis ad iuvandos mortales, pro quibus Filium DEI Hominem factum, & CRUCI fuisse SVFFIXVM recolebat; ut à meditationis, & orationis delitijs ad eorum vulnera circumliganda descendere non abnueret: & ab eorum consuetudine vicissim ad Orationis exercitium repetendum æstuarer.

Solitum,

II.
CLAVDIVS
IAIVS
Allobrox.

Solitum, aiunt, cum interruptâ pre-
 catione vocaretur ad opem alicui impen-
 dendam, DEO dicere, Domine IESV,
 patientiam habe, quia vocor ad exer-
 cendum opus tuæ caritatis erga ani-
 mas tuo PRETIOSO SANGVINE redem-
 ptas. At, cum opus illud, Te adjuvante,
 perfecero, redibo cum fœnore, &
 omnia reddam Tibi.

Post Germaniam penè universam cum
 summâ sanctitatis, & doctrinæ opinione
 peragratam, Viennam Austriæ, jussu S.
 IGNATI veniens, ibique aliquamdiu
 Societatis munia administrans, Anno
 M. D. LII. VI II. Idus Augusti, non diu-
 turno illo quidem, graviq̃ morbo, sed
 summo languore confectus, aut potius
 continenti operâ, zeloq̃ Domini
 DEI consumptus, Sacramentis ritè no-
 vissimis communitus, DEO Homini-
 busq̃ percarus CRUCIFIXI AMATOR
 ad eum, quem facie ad faciem videre
 semper exoptarat commigravit: ut exi-
 mia ejus virtus, & perspecta vulgo san-
 ctitas pollicebatur.

*Nicolaus Orlandinus Hist. Societ. lib. xii. à
 num. 35. Bibliotheca Societatis, litt. C. Imago
 primi Seculi lib. 2. pag. 288.*

II.

AMATOR CRUCIFIXI

*Crucis amore pectus suum ejus
imagine sculpsit.*

SIMON RODERICIVS, ne CRUCIS & CRUCIFIXI aliquando posset obli-
visci, néve eum minus amare posset,
ejusdem imagine ita olim pectus sculp-
serat, ut insignibus extantibus cicatrici-
bus, palmaris ea demum post mortem
fuerit observata. Quod fieri necessarium
esse, cum prævidisset homo modestissi-
mus, veritus, ne rei insolentia in suspi-
cionem miraculi vocaretur, quasi ea ibi
forma efficta esset divinitus, maluit So-
cio Fratri fateri, se CRUCIS amore, fer-
ro, vulneribusque, ita pectus discul-
passe, ut postmodum alia impressa exta-
rent vestigia; quibus quoties manus pe-
ctori admoveret, toties suorum amo-
rum admoneretur.

HUNC ergo hominem, CRUCEM &
mortificationem Domini suo in corpore
circumtulisse, quod à se factum gloria-
batur Paulus Apostolus *a*, quis neget?
Hic omnium optimè potuit exclama-
re *b*: *Si oblitus fuero tui CRUX Domini,*
oblivioni detur Cor meum: non enim

B

dexteræ,

12.

SIMON
RODERI-
CIVS LU-
TANUS,

dexteræ stigmata Ierusalem, sed corde impressa gestabat.

a .Corinth. iv. 10. b Psal. 137. v. 4.
Ioan. Rho, histor. exempl. lib. 3. cap. . .

III.

AMATOR CRUCIFIXI

Noctu evigilans in Crucifixi effigiem
oculos vigilantes conijcit.

13.
SIMON
RODERI-
CIVS Lusit-
anus.

SIMON RODERICIVS idem prægran-
dem è ligno CRUCEM in cubiculo
habebat, ad quam lucente ante illam
lampade, noctu quoties evigilaret, to-
ties oculos animumque referret, atque
in eius contemplatione redormiret.
Quod antequam faceret, an-non dicere
potuit? *In pace in idipsum dormiam & re-
quiescam. Quoniam Tu, Domine, singulari-
ter in spe constituisti me a.*

a Psal. lv. 9. 10. Ioan. Rho Histor. exempl.
lib. 3. cap. 2.

IV.

AMATOR CRUCIFIXI

Concipit locum, tanquam maxime sibi
convenientem ad pedes Iudæ proditoris.

14.
FRANCI-
CVS BORGIA
Hispanus.

FRANCISCVS BORGIA, qui spreto
Gandiæ Ducatu, & amplissimis ho-
noribus, opibus, delicijs, clientelis, ac fa-
milix

CYLTRIX CRUCIFIXI. 27

milia Illustrissimæ ornamentis, CRUCEM post CHRISTVM pottare in Societate IESV elegit, fingebar animo, ut Passionis Dominicæ haberet assiduam memoriam, se ad Iudæ inter Apostolos sedentis, & lotioni se aptantis pedes jaccere. Qui ex affectu erga Dominum passum præclarus fuit humilitatis actus, quem ille hac occasione suis manifestavit.

Quo die Hebdomadis Sanctioris CHRISTVM Discipulorum pedes lavantem Ecclesia recolit, ad tirones Societatis verba faciens *b*: *Nullum* (aiebat) *hodie locum reperi pro me in mundo. Sextum enim jam annum ad Iudæ pedes illum mihi fingebar: nunc cum CHRISTVM attentè considero ijs advolutum, lavare, tergere, & osculari, nullum mihi inde expulso, relictum video locum. Eadem sit, tua, si CRUCIFIXVM amas tenerè, imaginatio, quam suadeat ac former humilitas, perficiat verò CHRISTI ad Iudæ pedes inclinati dilectio.*

a Borgia ingressus Societatem Anno 1548. ætatis 37. obiit 1572. ætatis 62.

b Andreas Schot lib. 4. Vita cap. 15. num. 4.

V.

AMATOR CRUCIFIXI

*Conspui optat : aut patienter fert, quia
Christus in Passione consputus.*

15.

NON ambigo gratum esse CHRISTO PASSO, & fœdissimè putentium Iudæorum sputis deturpato, si optes conspui ignominiosè, ut illi aliquatenus sis similis: aut, si sputa excipias aliorum, sive casu, sive ex composito, convertas oculos, mentis ad CHRISTVM sputamentis turpiter illitum, & illud theatrum contempleris. Quod fecit, ut reor, quem antea laudavi CRUCIFIXI Amator eximius

FRANCIS-
SCVS BOR-
GIA Hispa-
nus.

FRANCISCVS BORGIA: Qui fessus de viâ diverterat in hospitium humilem-
que casam cum Socio Bustamantio, So-
cietatis IESV Sacerdote: pro lecto in
stramine diversi accubabant. Tussi la-
borans Bustamantius, totâ nocte con-
spuit imprudens Franciscum, faciem
etiam non rarò fœdans. At ille nihil tur-
batus tacitusque transegit noctem sputo
deformatus, vix ut agnosci posset. Vbi
diluxit, comperto, quod res erat, ve-
niam Bustamantius precatur. Ad quem
Franciscus: Non est, Pater, quod eâ re
labores: nec enim usquam me dignior
locus

IMITATRIX CRUCIFIXI. 29

locus in cubiculo sputo aspergi debuit.

Quod retuli, casu factum est, & à Socio: quod subnecto, datâ operâ, & ab hoste, Francisco Xaverio Collaborator in Evangelio promulgando strenuus fuit.

IOANNES FERNANDVS, quo Amangucij in trivio concionante ad plebem, Japon fortè quidam præteriens ad concionem accessit. Inde, ut erat homo insolens, prodit in medium, & collectam in ore salivam in concionantis os conjicit. Eam ille contumeliam adedò patienter tulit, ut nihil omninò commotus, abstersa linteo facie, institutum pertexeret sermonem.

IOANNES
FERNAN-
DVS LUSI-
TANUS.

Nimirum, CHRISTVM respiciebat multò terrioribus sputaminum spuratijs in vultu sædatum. Tantæ autem ad CHRISTI imitationem, patientiæ miraculo motus quidam è concione, in animum induxit suum, à Viris tantâ virtute præditis non posse religionem, nisi Sanctam adferri. Itaque domum ad Xaverium venit, instituitur, ac primus baptizatur. Hujus exemplum, alij deinceps sequuti sunt.

a *Andreas Schot lib. 4. vita cap. 5. num. 5.*

b *Tursellinus vita Xaver. lib. 3. cap. 7.*

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

*Osculatur terram, aut pedes aliorum,
amore Christi Passi.*

16.

VSITATVM est alicubi, affectum erga CHRISTVM PASSVM & ad mortem CRUCIS se humiliantem, osculatione terræ, aut pedum prodere: qui est actus se humiliantis. Ad quem expeditus semper sit Amator CRUCIFIXI, qui multos habuit illius officij exequutores. Ex infinitis nunc menti iterum obversatur.

FRANCIS-
CVS BOR-
GIA Hispa-
nus,

FRANCISCVS BORGIA, qui Eboræ in Lusitania, sextâ feriâ CRUCIFIXO dicatâ, aggregatis Socijs, ut more Patrum antiquorum collationes de rebus Divinis haberent, dicturus sententiam: hoc tantum; *Opera, inquit, verbis præstant.* Assurgens itaque omnium ordine pedes exosculatus Socios ad lacrymas, & admirationem excitavit.

Andr. Schott. lib. 4. cap. 1.

VII.

AMATOR CRUCIFIXI

*Postquam nudus ad Christi nudi Cru-
cem in Religione sacrâ confugit, sem-
per est tenerrimo affectu erga Patien-
tis, & in Cruce morientis Domini
Mysteria.*

CLAUDIUS AQUALAVIA natione Ita-
lus, patriâ Neapolitanus, filius Du-
cis Atrij, postea Societatis IESU Præpo-
situs Generalis V. in ipso ætatis flore
xxv. annos natus, cum politioribus lit-
teris esset excultus, & Sanctorum Pa-
trum lectione instructus, ac Pio V. Pon-
tifici Max. à Cubiculo gratissimus, res
suas seculum habere iussit, & omnia
illius ornamenta (quæ propter summam
Claudii nobilitatem, modestiam, inge-
nium, gratiam ipsi non dubiâ spe pro-
ponebantur) tanquam stercus arbitra-
tus, nudus ad CHRISTI NUDI CRUCEM
confugit.

Tantus exinde CRUCIFIXI AMATOR,
illis etiam xxxiv. annis, quibus Socie-
tatem universam rexit, ut omnia illius
dilectioni postponeret. Ferebatur au-
tem mollissimo affectu erga CHRISTI
Salvatoris dirissima pro nobis PASSI

Humanitatem, Vitæ ejus, MORTISQUE MYSTERIA, eaque modis omnibus recolebat. Celebravit eadem Oratione affectuum flammulis plenissimâ, quum de salutari CHRISTI MORTE, quam Magnum pietatis Sacramentum vocabat, diceret coram Gregorio XIII. P. M. quæ hodieque cum fructu legitur. Visus aliquando à S. Philippo Nerio est multo lumine coruscare. Ab alijs totam inter orandum semi-horam sublimis pendere est conspectus.

Cum verò sibi periculum extremo in morbo imminere præsensit, animo yুক্তuque, præter solitum, sereno, GRATIAS DEO, inquit, qui facit de tenebris lumen splendescere, & de morte vitam suavissimè rependit. Mox ad Robertum Cardinalem Bellarminum, qui mortem illi denunciabat imminentem, conversus: Mori, ait, non timeo, nec vivere erubesco, quia bonum Dominum habemus. Sacramentis deinde recreatus, & acceptâ à CHRISTI Vicario benedictione, qui magni Viri jacturam ab Ecclesiâ fieri dicebat, decessit, die xxxi. Januarij Anno M.DC.XV. Ætatis LXXII.

*Imago primi Seculi lib. 2. pag. 107. lib. 1. 170.
Bibliotheca Societatis.*

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

*Nomini proprio, quo subscribuntur
epistola, Crucem calamo superscribit.*

MVTIVS VITELLESCVS, Romanus 18.
Præpositus Generalis Societatis MVTIVS
IESV VI. qui annos natus XX. CRVCIFIXI VITELLE-
amore, & CRVCIS amplectendæ, ac post scvs Italus
CHRISTVM portandi studio ductus, So-
cietatem est ingressus, An. M.D. LXXXIII.
deinde, mortuo Aquaviva, Generalis
delectus Anno M.DC.XV. in more habuit
epistolas omnes suas nomine proprio
subscribere, ut fieri solet à Generalibus:
at peculiare illi erat, quod nomini su-
perponeret CRVCEM, ✝, calamo for-
matam.

An, ut omnibus, ad quos scribebat,
CRVCIS memoriam renovaret? An, si
lata essent responsa, moneret tacitè,
CRVCIS recordatione esse temperandam
lætitiã inde oriri solitam? An, si tristia
continerent, CRVCIS objectu insinua-
ret, frustrà aliunde hominibus Societa-
tis petendum esse solatium. Et Romã
quoque expectandam CRVCEM, quam
ibi primus ejus Conditor invenit, sed,
CHRISTO propitio, leviolem. Ego
certè, de me id profiteri possum, quod

nunquam litteras Româ acceperim, quin prius quàm legerem, in CRUCEM oculos conjecerim. Quod mirificè confert ad hoc ut animus ad quæcumque responsa imperturbatus maneat.

Quoniam autem Præpositus Generalis Societatis pluribus litteris nomen suum subscribit quot septimanis, quàm ullus alius in orbe negotiosissimus sive Princeps, sive Mercator, sive scriptor, reor ego plures pinxisse CRUCES Vitellescum xxx. illis annis, quibus Ordini nostro præfuit, quàm ullum ævi ejusdem mortalium: ut vero nomine dici potuerit, circa vitæ finem, STAVROGRAPHVS, qui semper ab ingressu in Religionem fuerat STAVROPHILVS.

Spiritum Creatori suo reddidit Sacramentis Ecclesiæ, & benedictione Pontificia communitus, An. Christi M. DC. XLV. IX. Februarij, Ætatis LXXXII. vitæ religiosæ LXII. Quo affectu fuerit in CRUCIFIXVM videre est etiamnum in Oratione de PASSIONE Domini, quam habuit ad Gregorium XIV. An. M. D. XC. & cum alijs aliorum ejusdem argumenti est edita.

Elogium Mutij Vitellesci habet Andreas Viorellus, alijs, ex quibus Philippus Alegambe in Bibliotheca Societatis. Imago primi seculi lib. 1. pag. 17.

IX.

AMATOR CRUCIFIXI

*Cruce calamo expressâ, epistola, vice
nominis sui subscribit.*

QVOD indicat, Scriptorem, tam esse
affectum erga CRUCEM, ut eam
haud secus, immò magis, quàm pro-
prium nomen, vel personam suam, no-
mine significatam amet. Illius affectus
illustre exemplum dedit

19.
ALOYSIVS
GONZAGA
Italus.

ALOYSIVS GONZAGA, qui in extre-
mis constitutus, cum accepisset nun-
cium, quod diu superesse non posset,
summam lætitiâ verbis illis: *Latantes
imus: Latantes imus*, effusâ hilaritate
pronunciatis, significavit. Tum visum
est illi, patribus, quibus cum præcipua
ei gratia intercedebat per litteras vale
dicere. Quod fecit, sed alienâ manu: quia
suâ non poterat. Scribi autem voluit, se,
uti speraret, in cælum proficisci: mul-
tam illis salutem dicere, atque orare, ut
se DEO commendarent. At, cum præ
imbecillitate virium subscribere non
posset, iussit sibi manum duci, & pro
suo nomine, calamo CRUCEM depinxit.

Virgilius Ceparius in Vita Aloysij lib. 2. cap. 2.

X.

AMATOR CRUCIFIXI

*Circa vitæ finem, ab occupatione cum
Cruce & Crucifixo nunquam
avellitur.*

20.
ALOYSIVS
GONZAGA
Italus.

ALOYSIVS GONZAGA postquam ob morbum lecto teneri cœpit, poscebat nonnunquam vestem, lecto-
que egressus, pederentim ad mensam, in
quâ erat CRUCIFIXI CHRISTI imago
adrepebat, eamque complexus oscu-
labatur.

Octo postremis vitæ diebus, CHRISTI
CRUCI AFFIXI Imagine ejus rogatu in
lecto collocatâ, rogabat, ut Sacerdos
quotidie ante illam, provolutus in ge-
nua, septem Psalmos pœnitentiales pro-
nunciaret. Quod est factum, tanto cum
decumbentis sensu, ut cum ad egregium
quempiam locum ventum esset, ille sub-
sisteret, cum interea B. Adolescens, ocu-
lis animoque in CHRISTI CRUCIFIXI
effigie defixis, totâ mente, quæ legeban-
tur volutans, illustribus accensi in DEVM
studij, cœlestiumque permotionum in-
dicijs, alios quoque ad inflammatum
erga Dominum in CRUCE extensum
amorem, ac lacrymas accenderet. Hinc
subscripsit imagini Aloysij in CRUCEM.

AMATRIX CRUCIFIXI. 37

cum quâ, & ante quam pingitur intentæ
pius Poeta a:

A CRUCIS aspectu GONZAGÆ pendet Imago.
Ipsa, quod archetypen fecit, Imago facit.

Virgilius Ceparius lib. 2. Vita, cap. 9.

a Jacobus Biderman lib. 1. Epigram. 14.

DECAS III.

I.

AMATOR CRUCIFIXI

Desiderat mori eo tempore, quo Crucifixi
agitur memoria.

EST hoc quoque genus aliquod PAS-
SIONIS DOMINICÆ recondendæ &
honorandi CRUCIFIXVM. Quo suum er-
ga PASSVM Dominum ostendit adfe-
ctum ALOYSIVS GONZAGA, qui in opta-
tis habuit, ut ultimum spiritum Deo
redderet, vel intra octo Sanctissimæ Eu-
charistiæ, cujus honori semper ante alios
devotus fuerat, dicatos dies; vel memo-
ris pijsque adversus CHRISTI Domini
pœnas animi declarandi causâ, Feriâ
VI. hebdomadis.

Utrumque consequutus est: nam cum
octavus eorum, qui Sacro Sanctæ Eu-
charistiæ solennijs sunt celebres dies es-
set in exitu, jamque feria VI. incunte,
nocte, quæ inter XII, & XI. Kalendas XXI. Junij.

21.
ALOYSIVS
GONZAGA
Italus.

Quia:

Quinctiles intercedit, felicem illam vitam, cum hac mortali commutavit, Romæ Anno M. D. XCI. cum vixisset in Societate sex tantum annis, studijs Theologiæ nondum absolutis; sed absolutissimæ Sanctitatis prærogativâ jam tunc maturus æternitati.

In Vitâ Virgilius Ceparius, lib. 2. cap. 9.

Imago primi seculi Societatis pag. 168. 594.

Bibliotheca Societ. Litt. A.

II.

AMATOR CRUCIFIXI

Si condat Testamentum, legat Crucem vel Crucifixum, tanquam pretiosissimum, sibiq; carissimum monile, amicissimo sibi, & cui præ omnibus alijs plus se debere fatetur.

22.
ROBERTVS
BELLAR-
MINVS
Italus.

ROBERTVS Cardinalis BELLARMINVS, de cujus in CRUCIFIXVM Dominum amore loquuntur ejus libri, & loquutum ipsum-met recordor a, cum initio Cardinalatus, Romæ, in domo Tironum Societatis IESV, quò se contulerat, recollectionis & faciendorum Exercitiorum spiritualium gratiâ, omnes nos, qui in Novitiatu ad Divi Andreæ in monte Quirinali versabamur, ad amorem CRUCIS ac CRUCIFIXI vehementissimè incitaret, inflamma-
retque

CYLTRIX CRUCIFIXI. 59

retque desumpto themate, ex illa orationiuncula, quam Ecclesia, die Evangelistæ Lucae Sacro, quo exhortationem habebat, recitare assolet:

Interveniatur pro nobis, quaesumus Domine, Sanctus tuus Lucas Evangelista, qui CRUCIS MORTIFICATIONEM jugiter in suo corpore, pro tui nominis honore, portavit. In quo ipso, si ullus sui temporis Purpuratorum, excelluit Bellarminus. Qui juvenis cum haberet Orationem, de CHRISTI D. Morte in CRUCE obitâ, coram Gregorio XIII. P. M. in Sacello Pontificio die Sancto Parasceves exclamavit ex intimo sensu b. Nihil est, Pater Beatissime inter omnia opera DEI, in quibus humana admirationis fatigatur industria, quod æquè mentem nostram simul oblectet, & cruciet, atque PASSIO Salvatoris. Ita se commoveri, atque ita omnibus persuasum esse debere tota illa dictione præclare demonstrat.

Is deinde in senio, ut ad nostrum lemma veniamus, purpurâ donatus, cum à Pontifice Clemente VIII. facultatem condendi Testamentum ad pias causas tantum, quod postularat, obtinuisset; in illo Nepoti suo Angelo (solent autem senibus nepotes esse carissimi) legavit unam ex parvis CRUCIBVS, quas ad peccatus gerebat, cum reliquijs inclusis. Præterea Exequutori Testamenti, hac formulâ legatum constituit: *Illustrissimo &*
Reve-

Reverendissimo Cardinali Aldobrandino
 Domino meo relinquo id, quo pretiosius nihil
 habeo, videlicet, CRUCEM ligneam, Reli-
 quijs pretiosissimis refertam c.

a Anno M. D. XCIX. b Oratio tertia ex quin-
 quaginta c Iacobus Fuligattus in Vita Bellarm.
 l. 7. c. 4. Italice ex versione Silvestri Petra-Sancta.

III.

AMATOR CRUCIFIXI

Habet in veneratione, quicquid Domini
 plagas in Cruce acceptas representat.

23.
 ALOYSIVS
 GONZAGA
 Italus.

VNIUS è multis memoriam refricat
 Testamentum Bellarmini, in quo
 reperio scriptum. Quod attinet ad locum
 sepulchra, libenter jacere corpus meum vo-
 luissem ad pedes B. Aloysij Gonzaga, mei quor-
 dam spiritualis filij. Nimirum, ut qui in
 vita fuerat ei similis, amando tenerrimè,
 & exprimendo exactissimè, pro status
 cujusque conditione, CRUCIFIXVM, ita
 post mortem non separarentur.

De ALOYGIO autem, præter tot alia
 in superioribus enarrata, refert Vitæ
 scriptor: quòd cum matre suâ fortè ob-
 errans, cum rarum quendam lapillum
 offendisset, notis quibusdam expressis
 distinctum, quæ sacratissimas CHRISTI
 PLAGAS perspicuè referebant, eum,
 velut CHRISTI dolorum, ac VULNE-
 RVM

IMITATRIX CRUCIFIXI. 41
RVM indicem, & monitorem multâ in
veneratione habuerit.

Virgilius Ceparius in Vita Aloysij.

IV.

AMATOR CRUCIFIXI

*Carissimam habet effigiem sui Crucifixi:
amabilem juxtâ ac miserabilem,
quam moriens, quoad licet, intuetur,
ac cum illo dulcissimè agit.*

ROBERTVS BELLARMINVS, cum
esset penè in extremis, ingenti su-
spirio de repente congemuit, dictitans:
*O quàm miserè falluntur, qui cum perditè
vivunt, credunt, posse se laudabiliter mori! Be-
nè vivere, & benè mori satis congruunt: at,
vitam probrosam honestus exitus rarè exci-
pere solet.*

24.

ROBERTVS
BELLAR-
MINVS
Italus.

Paulò pòst, Mutius Vitellescus Præ-
positus Generalis Societatis IESV, ei ho-
ram mortis, quam optaverat nunciavit.
Tum Ipso, ut Sapiente dignum erat,
mortem etiam lætus admittens, & su-
perfundenti se lætitiæ vix temperans,
ter illud ingeminavit: O lætum nun-
cium! ô nuncium optabile! non est,
quod curas jam alias agitem. Voluissem,
fateor, annum integrum in hoc loco,
(erat in Tironum religiosorum domi-
cilio) ad profectiorem in hanc me com-
parare

parare; sed quoniam me jam DEVS vocas, libens vocantem sequor, & obsequor jubenti.

E lapsis aliquot horis, flagitavit, ut extremo Sacramentorum armaretur, inungereturque causâ ultimi conflictus; & tunc pronunciavit distinctè omnia, veniam eorum, quæ peccaverat, deprecans moriturus.

Ab eo momento, voluit in imâ parte Lecti, in quam oculi directè abeunt collocari AMABILEM juxtâ MISERABILEMQUE Domini sui in CRUCE pendentis effigiem: Ut vitam, quæ paulatim collabebatur, ante CRUCIS ARAM caderet, invenireturque abscondita cum CHRISTO in DEO. Et semper deinceps aut visus est, cum Eo agere dulcissimè; aut est auditus de morte appropinquante perinde, atque de nuptijs loqui.

Quædam dein cum proposita essent, de ijs disposuit. Post quæ iterum cum superis, ac cum DEO agere; atque à proviso sibi CRUCIS simulacro non amovere oculos, nisi, ut subinde ad circumstantes rediret animo, adventantes salutarer, vale diceret omnibus, suffragia & piacularia sacra peteret à plurimis amplexaretur aliquos caritate summâ; præcipuè verò, solaretur dulcissimos Socios, pollicitus, dum in cælum irer, ipsos in suâ mente, & corde secum itu-

AMATRIX CRUCIFIXI. 43
ros, nec futurum unquam, ut posset
eorum oblivisci.

*Vita Bellarmini ex translatione Silvestri Petra-
Sancta lib. 7. cap. 3.*

V.

AMATOR CRUCIFIXI

*Moribundus effigiem Domini è Cruce
pendentis exosculatur, complectitur,
capiti imponit, frontem verticemq;
ea consignat, humeris superponit, su-
pra pectus collocat, ulnis stringit ani-
mam illi defert.*

HÆc & ejus generis alia non pauca
actitavit BELLARMINVS Lecto af-
fixus ad migrationem se parans. Nam
post ea, quæ proximè relata sunt triduo
quàm obiret, Medici, ut ei gravedine
caput relevarent, admotis hirudinibus
ad venas, sub utramque aurem sangui-
nem mitti voluerunt: sed medicamen-
tum hoc aliorum pietati potius, quàm
ipsius sanitati parabatur.

Æger, quamdiu lentitudo curatio-
nis duravit, immotus, & defixus oculis
in CRUCE mansit. Interim verò Medi-
ci, & qui aderant omnes, albis sucla-
riolis certatim excephere sanguinem, qui
ex hirudinum haustu perpetuum eum
diem,

25.

ROBERTVS
BELLAR-
MINVS
Italus.

diem, & noctem insequentem haud ficti-
fic potuit, quin aliquantulum flueret; &
morbus nihilominus ex illo non remisit.

Quare, cum vita ejus iret in deteritus,
à Pontifice postularum est ipsius no-
mine, ut Sacram ei Benedictionem cum
Indulgentiâ piaculari lustrante vitam
anteactam omnem impertiret. Atque
hanc ipsam, aperto capite, & generali
confessione ritè obitâ accepit venera-
bundus, ut donis cælestibus cumulatus
in cælum iret.

Prædixerat sæpe, sibi spera esse nimi-
rum, fore ut obiret Feria VI. memoriæ
CRUCIFIXI peculiariter dicatâ; ac ipso
die S. Francisci admirandis (ad CRUCI-
FIXI similitudinem) VULNERIBVS Sæ-
cro. Fortasse, ut non deessent morituro
ex geminâ ejus diei recordatione, vel
AMORIS VULNERA, vel DOLORIS. Hoc
si desiderium fuit, annuit eventu secun-
dissimo DEVS; si oraculum, cum prædi-
ctione cuncta congruerunt. Etenim
cum intenderet se nox Feriæ V. quæ fuit
xvi. Kalend. Octob. hoc est, pridie ejus
Celebritatis, horâ ab occasu solis circi-
ter tertiâ cœpit animam agere.

Durante tractu, & lentitudine mor-
tis, tametsi frigescerent pedes, manus-
que, & ab extremis cedens vita paula-
tim arctaretur, tamen ferè ad finem
usque, fervido, & compote mentis
pectore,

CVLTRIX CRVCIFIXI. 45

pectore, os illud sacerdotale Sacrificia laudis immolavit DEO. Versus Psalmore tempore aptos piè admodum usurpabat: Psalmum totum quinquagesimum, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam clarè ac distinctè recitavit sæpius: subinde ijs interponens suavissima IESV & MARIÆ nomina: & per intervalla illud: *Sancta MARIAMater DEI, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in horâ mortis nostræ.*

Sed enim spectaculum jucundissimum erat, intueri exosculantem CHRISTI Domini è CRUCE pendentis effigiem. Quippe, eam arctissimè complexus, satis indicabat, quàm impensè amaret CRUCIFIXVM Servatorem vitæ suæ. Quem denique, cum vellet ultimis obsequijs venerari, stricto Simulacro salutaris CRUCIS, detracto sibi pileolo, revelatum manu tremebundâ caput, semel iterumque consignavit. Postea, CRUCEM eandem superimponere humeris, quasi cum ea facturus iter, conatus est. Demum supra pectus, subter linthea collocavit, & reductis brachijs strinxit, cor evocaturus, ut per ea utique VULNERA immoreretur DEO suo: & moribundas manus in his CRUCIFIXI obsequijs reliquit.

Indicijs tanti in CRUCIFIXVM amoris, & tam fervidæ pietatis, Vita Bellarmini

mini pervenerat sub auroram xv. Kal. Octob. quæ ei ortus haud dubiè lucis lætissimæ fuit: cum simul obscurari oculis cæpit, ut in cælo videns efficeretur; simul loqui desijt; pauloque post nullo signo pavefactus, & sine depravatione vultus, tranquillissimè defecit; unâ horâ circiter post exorientem solem. Anno M.DC.XXI. cum ei deessent dies x. & vii. ut attingeret annum vitæ octogesimum, Feria VI. in quam incidit anniversaria celebritas STIGMATVM Sancti Francisci: per omnia sortitus exitum, qualem optaverat.

Silvester Petra-Sancta, in vita Bellarmini, lib. 7. cap. 3.

VI.

AMATOR CRUCIFIXI.

Ad Passionis Christi participationem, & honorem Crucifixi, omnibus Christi pervigilijs pane dumtaxat & aqua jejunat.

26.
THOMAS
SANCHEZ
Hispanus.

NON nominabitur facilè aliquis ex magnis ævi nostri Theologis, qui superaverit THOMAM SANCHEZ Cordubensem, ut in dotibus ad consummatissimum Imperatricis illius disciplinæ Doctorem pertinentibus, ita in officijs ad ferventissimum CRUCIFIXI Amatorem

IMITATRIX CRUCIFIXI. 47

rorem spectantibus, illæ alibi commendantur: ista hujus sunt loci, ut intelligatur, quàm bene conveniant in Religioso Societatis IESU, indefessum litterarum Studium, subtilissimum ingenium, acerrimum iudicium, exquisitissima doctrina, docendi facilitas & perspicacitas haud vulgaris, quæ fuerunt ornamenta Sanchezij, cum inexhausto desiderio voluntarias de se pœnas, ad honorem CHRISTI PASSI exigendi. De eo enim hæc accepimus à domesticis.

THOMAS SANCHEZ eâ fuit in seipsum severitate, ut quicquid de eâ dixeris, infra rem ipsam videri possit. Homo vitæ purissimæ innocentissimeque actæ, & nulla unquam graviore labe taminatæ, tenuissima valetudine, decem quotidie, duodecim-ve horas contentè, & jejunos quidem ad studia incumberebat, & ad extremum simul spiritum in rigidissima carnis maceratione, in victu cultuque imprimis horrido & aspero, in vigilantissimâ sui custodiâ in abnegatione sensuum incredibili, in egregiâ denique exhausti corpusculi victoriâ constantissimè perduravit.

Quater in hebdomade pane tantum & oleribus vitam tolerabat. Tota Quadragesima & Adventu ad panem nihil præter legumina & fructus aridos adhibebat. Pervigilijs CHRISTI Domini
& B.

& B. Virginis pane dumtaxat & aquâ jejunabat. Salem, piper, acorem, & cetera ciborum condimenta omninò respuebat: ne ipsa quidem elixa olera satis ex se insipida, oleo aut aceto condiebat. Mensæ verò accumbebat, alternis semper pedibus à terrâ sublatis ne quid otij sibi daret à vexatione.

Propensissimus erat animo in SANCTISSIMUM SACRAMENTUM, in IESUM CRUCIFIXUM, & in MARIAM Virginem. Hos habebat ternos Amores: hæc in omnem hostem præsidia. His alijsque virtutum ornamentis dignus cælo factus, pleuritide primùm tentatus, mox symptomate lethargico oppressus brevi confectus die XIX. Maij, Anno salutis M. DC. X. ætatis LX. ineunte, ab initâ Societate Granatæ expiravit.

Patres Collegij Granatensis Præfatione in Opere morale de decem Præceptis Ecclesia.

VII.

AMATOR CRUCIFIXI

Emendicat à Christo in tabernaculo Crucis splendente, ut à Sole suo, veritatis radium, dum lectioni, scriptioni, aut speculationi deditus hæret in tenebris.

FRANCISCVS SVAREZ Granatensis, quem communem hujus ætatis Magistrum, & Augustinum alterum appellabat Alphonfus à Castelbranco Episcopus Conimbricensis a, si studijs inhærenti quæstio aliqua perdifficilis; nodusque implicitus occurreret, cujus exitus esset in tenebris ante vivam CHRISTI è CRUCE pendentis effigiem Divinæ lucis radios à Patre luminum mutuabatur. Si dubius adhuc hæreret Beatissimam subinde DEIPARAM; cujus etiam Imago ante oculos erat, pijsimè ac familiarissimè consulebat. Nimirum, exquebatur, quod scribit alicubi, sequens consilium Augustini; *in studiorum exercitio, non debet animus ita absorberi, ut eodem tempore ad DEVM non recurrat, nunc renovando intentionem, nunc petendo auxilium, nunc gratias agendo de veritatis intelligentia* b.

27.
FRANCISCVS SVAREZ Hispanus.

Cum quidam inter loquendum de
C Urbis,

Urbis, quas vocant Stationibus sermonem inferuisset, adjecit Suarez, se quoque intra cubiculi sui parietes solitum Stationes suas percurrere: cum ad Magnam Matrem modò, modò ad Filium in dubijs persæpe confugeret. A meridie, quasi è medio occupationum litterariarum conflictu receptui caneret, post tantillam à labore curisque remissionem, assueverat ineunda cum DEO DEIque Parente miscere colloquia.

FUIT, cum altissimâ rerum sublimium in contemplatione defixus, divinaque suavitate liquecens, nullo excitantium strepitu ad se rediret. Ianitor Collegij, ea, quam designavi antea, post meridiem horâ, Suarij cubiculum, nescio quid nunciaturus intraverat semiclusâ fenestrâ. Cum pedum complosione strepenti responsum nullum daretur, progressus ulterius, supplicem videt, supinis manibus, ante CHRISTVM in CRUCE SVFFIXVM. Vocat, alloquitur, vesteprehendit, ter denique manu impellit nihil ejusmodi sentientem: adeò ab alienato à sensibus animo CRUCIFIXO, Divinisque rebus hærebat.

Iterum, Ianitor idem juratissimus testis horâ fermè eadem Suarium instantis, quod ipse præceperat negotij moniturus, interioris cubiculi ad ostium cum accessisset, miratur domum

CVLTRIX CRVCIFIXI. SI

eâ luce perfusam, quam oculi ferre non possent, Obstupefactus primo aspectu, ubi se aliquantulum obfirmavit, ne fortè oculorum ludibrio deciperetur, singula per otium contemplatus, fulgorem illum solari parem, è CHRISTI in CRUCE pendentis effigie rectâ ad Suarij vultum pectusque sese vibrantem: ipsum verò Suarium duos ferè cubitos ab humo sublimem, genibusque plicatis è regione suspensum animadvertit.

Ad eam speciem cum perhorresceret, suspensio gradu proripit sese, dubius, an plures tanti miraculi testes adjungat. Adhuc hærentem pro foribus, & pavitantem Suarius occupat: rogatus cur morantem, ut constitutum fuerat, non vocasset? aperte candideque respondet, eâ specie supplicantem ante CRVCIFIXVM vidisse, ad quam mutire ausus non fuerit. Introductum ergo Suarius, fuis lacrymis, manibusque sublatis orat, & obsecrat, ne quod viderit foras emanet. Secreti promissionem expressit ac fidem, conscio tantum Confessario Viro Sanctissimo, qui tametsi oculorum usu, Tobiaë instar, orbatus, in rebus Spiritualibus erat ocularissimus.

Par est credere, alia generis ejusdem collata Suario, ut CRVCIFIXI eximio Amatori ab indulgentissimo Domino beneficia, quæ tamen ingens il-

52 SOCIETAS IESV

lius altissimo silentio premebat humilitas. Ex his apparet, non malè scripsisse Quendam: CHRISTVM è Cathedrâ CRVCIS SVARII Magistrum egisse. Mortuus est Doct̃or immortalitate dignus Olisipone in Lusitaniâ Anno Christi M. DC. XVII. ætatis ferè LXX. Societatis in ita LIV. XXV. Septembr. Sacramentis ritè susceptis & cælesti gaudio delibutus.

a *Vita Francisci Suarj tomo 1. Oper. præfixa.*
 b *Suarez tomo 4. de Religione. S. August. tomo 7. de gratia & lib. arbitr. cap. 1.*
 c *Jacobus Damianus in Synopsi Societatis lib. 6. cap. 4.*

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

Antequam moriatur, Cereum accendi jubet, vel rogat, atque ante Crucifixi effigiem poni; aut ipse, si tanta sint vires, manu sustinet, adventum Sponsi expectans.

28.
 CONSALVVS
 MEDERIVS
 Lusitanus.

Sic honorasse CRVCIFIXVM suum haud ambigo CONSALVVM MEDERIVM Lusitanum, è primis illius Provinciae Patribus, cujus in severissimo vitæ, ad imitationem CRVCIFIXI æquabilis perpetuæque constantia laudatur mixticè in Historia Societatis.

Is compluribus annis senas quotidie, præter

IMITATRIX CRUCIFIXI. 53

præter Sacerdotale pensum, precationi, meditationi que horas impendit; ternas à cænulâ ante quietem, totidem post degustatam quietem, ante diluculum. Vbi dilucesceret descendebat in templum flexisque ante Divinissimum Sacramentum genibus primas Sacerdotalis officij preces exequabatur, tum alias ex intervallo.

Denique, Sacrum faciens, dansque operam Confitentibus, nunquam toto matutino tempore, pedem de templo, nisi quid Obedientia interdum, caritasve præscriberet, efferebat. Spatium verò pomeridianum, si otium daretur à confitentibus rerum studijs Sacrarum totum dicabat. Porro, quotidianam senarum meditationem horarum, nunquam, ne in itinere quidem omittebat: magnâ quin etiam ex parte retinuit supremis vitæ diebus, cum pessimè affectum corpusculum penè Spiritus defecisset.

Paulò ante excessum, aliquot Patrum accitis Sacrum CEREVUM iussit accendi. Tum Symbolo Apostolorum prolato: In hac fide, inquit, institutus sum, in hac vixi, in hac morior: restor que, si quid fortè in extremo agone excidar mihi, jam nunc indictum ac irritum velle. Ac protinus brachio porrecto, Cereo que manu prehensio: Vt lumen

54 SOCIETAS IESV
hoc, inquit, oculos illuminat corporis,
sic ego credo DOMINVM IESVM, quippe
Lucem Mundi in candelabro CRVCIS,
illuminare omnem hominem venien-
tem in hunc mundum: quia ipse Lumen
verum & æternum est. Quæ magno sen-
su cum protulisset, continuans inde san-
cta cum Dilecto suo colloquia, Ecclesiæ
mysterijs omnibus præmunitus; ad Spon-
sum cælestem, cum face evolavit è cor-
pore, pridie Nonas Aprilis, Anno Chri-
stiano M.D. LII.

*Nicolaus Orlandinus in historia Societ. lib. 12.
num. 66. tom. 1.*

IX.

AMATOR CRVCIFIXI

*Solemne quot hebdomadis concionem
de Passione Domini, Feria VI. habet
& flagellationem piam ad ejus me-
moriã inducit.*

29.
GASPAR
BARZAEVS
Zelandus.

GASPAR FRANCISCI Belga BAR-
ZÆVS, in Zelandiã insulã, oppido
Goozã natus, fuit Apostolicæ industrię,
& sanctitatis homo, à Deo datus ad sa-
lutem multorum apud Indos, ad quos
per occultos Providentiæ Divinæ an-
fractus venit. Is, quo erat ardore, Iapo-
nios, Sinas, Æthiopes, Abassinos, Scy-
thas, gentes omnes animo vastissimo
com-

AMATRIX CRUCIFIXI. 55

complectebatur, ut ad CHRISTI fidem,
& CRUCIFIXI amorem traduceret.

Præter innumera autem, quæ brevissimo tempore præstitit, cum esset Armuziæ doctrinam Christianam quotidie explicabat, ægris aderat, confessiones excipiebat, catechumenos instruebat, baptizabat, custodias visebat, cujuscumque sectæ res, stas cuique diebus procurabat. Dominicis diebus, festisque concionabatur ad populum mane, vesperti ad servitia, tertio ad ægros. Sub noctem, nolæ pulsu mortales provocabat ad preces pro ijs fundendas, qui lethali crimine, vel vita functi Purgatorij igne tenebantur.

Inducebat crebrum Sacramentorum usum: Solemnem Feriâ quaque Sextâ, cum frequenti flagellatione, concionem de CHRISTI Domini CRUCIATIBVS: publicas ad hæc supplicationes. Confitentium porro numerus tantus erat, ut cum dies ac noctes eis Gaspar adesset, vix interdum horæ spatium ad necessariam corporis quietem, quæ alioqui vel in otio summo, trium ferè horarum spatio fiebat, eriperet. Quod cum observassent ceteri Sacerdotes invidiæ facibus inflammari questi sunt apud Gasparem unum illum ipsum cunctorum confessiones excipere, contemni se, nec in ullam partem vocari laboris.

Quibus ille respondebat, testes eos, qui accederent, esse posse, quàm nullo artificio, blanditijsque homines ad se alliceret: ultrò autem venientes repellere æquum sibi non videri. Cum verò illi consilium eà de re iniissent, multis dictis sententijs, statuerunt denique, perspicuo DEI nutu, voluntateque id accidere, qui Gasparem Belgam ijs ornasset, instruxissetque bonis ut eum omnes meritò sequerentur. Itaque invidiã in benevolentiam versã, sua deinceps studia ad eum amandum, & complectendum cum cetera multitudine conjunxerunt.

Nicolaus Orlandinus histor. Societatis lib. 6. no. 88. lib. 9. à num. 142.

Nicolaus Trigautius in Vita.

Imago primi seculi Societatis lib. 3. cap. 2. p. 336.
Amphitheatrum Honoris Clari Bonarfi.

X.

AMATOR CRUCIFIXI

*Vt se probet non indignum Societate
IESV, noctu cubat humi nudus
ad Crucem.*

30.
ANONY-
MVS TIT^o
Armuzia-
nis.

BARZÆO rem Evangelicam strenuè agente apud Armuzianos iisque CHRISTVM CRUCIFIXVM prædicante, pluribus Societatis injecta mens est: è quibus ille paucos elegit, quos scilicet ad portandam CRUCEM cum CHRISTO,

CVLTRIX CRVCIFIXI. 57

ac perfectam vitam, ac sanctitatem, evidenti impulsu Divinus Spiritus, instintuque vocaret. In ijs unus fuit, qui auditâ Gasparis concione, detractâ sibi in oculis multitudinis, vestimenta, & cetera, quæ habebat omnia, divisit egenis, ut CHRISTVM nudus nudum sequeretur. Et sanè noctu cubabat humi nudus ad imam CRUCEM: interdii verò totum sese ad ægrotantium, & egenorum impendebat obsequia. Is vulgo visus est INSANIRE. Sed expositâ Gaspari suæ mentis, conversionisque ratione, veræ Sapientiæ consultissimus, & Societate IESV dignus, quia Amator CRVCIFIXI est repertus.

Nicolaus Orlandinus histor. Societ. lib. 9. m. 153.

DECAS IV.

I.

AMATOR CRVCIFIXI.

Incredibili animositate super fanum Mahometicum Crucem statuit.

CVM GASPARE BARZÆVS Armuziæ benè mereri de omnium sectarum colluvie pergeret, seu familiari colloquio, seu disputationis altercatione, ejus famâ Rex ipse Mahometanus permotus, paulatim in studium Christianæ religio-

31.

GASPARE
BARZÆVS
Zelandus,

nis incubuit; atque in idipsum viginti circiter millia è multitudine traxit, itemque è nobilitate nonnullos. Sed non tenuit constantiam metu regni amittendi actus in diffidentiam. Ad quod Gaspar ingemuit, hortatusque est Regem, uti D^{no} fideret, totamque ei rem ex animo commendaret. Ipse autem digressus à Rege novam à cælo poposcit opem: jejunia, obsecrationes, & id genus alia per se, perque suos instaurat: Supplicationes de more decernit, incedentibus longo agmine pueris, piè concinentibus, ætate verò robustiore quinquagenis: aut sexagenis pariter flagellis in sua terga sævientibus. Cacizij Mahometanæ atque Ethnicæ superstitionis Antistites vicissim inflati pœnitentia Regis, concitata plebe, ne Christianis ulla re cederent, & ipsi supplicationes obire, in ediam extendere, novaculis autem incidere, quàm maximas copias in Coranum (sic delubrum suum præcipuum, vocant) & reliqua fana cogere, Mahometis execrabile nomen ex omni parte dissonis clamoribus invocare.

Tum Gaspar facinus indignum ratus, in Vrbe, quæ Lusitano præsidio teneretur, CHRISTO Mahometem opponi, magno animi ardore, CRUCEM comparat grandem: ac nulla vi, nullo armorum strepitu, prævia dumtaxat psallentium

IMITATRIX CRUCIFIXI. 59

rium puerorum turba ad Coranum tendit intrepidus. Res mira. CRUCIS virtute, atque fulgore perstricti, attonitiq̄ue Mahometani repente diffugiunt. Gaspar CRUCIS INSIGNIA palam in Corano defigit: adhibitisq̄ue fabris, jussu Regis, cæmento & calce templi aditus & valvas obstruit. Super hæc impiæ Mahometanorum vociferationes tota insulâ gravi prohibentur edicto.

Fremere hîc Antistites Satrapæq̄ue, & sacra deserta, religionesq̄ue violatas, cum Armuziano coram, cum ceteris Regibus, imprimisq̄ue Persa, per litteras queri, cunctos ad arma, & ultionem accendere: postremò sese urbem relicturos, & aliò commercia avocaturos minari.

Sed triumphavit de omnibus Amator CRUCIFIXI, qui incredibili animositate perduxit ad exitum felicem, quod inchoaverat: & plura quotidie ad honorandum CRUCIFIXVM meditans, Goam revocatus, ibi in ipsa concione, quam habuit in æde summa, repentina animi defectione desinere coactus est. Inde cum paulatim recepisset spiritum, reversus ad Collegium, ac subinde acerrimâ feбри correptus paucis diebus extinctus est, verè LYMAN ORIENTIS, die XVIII. Octob. Anno M.D LIII. exacto in Societate propè septennio.

*Nicolaus Trigautius fusè in Vita Barzai.
Nicolaus Orlandinus sparsim in historia Socie-
tatis lib. 10. à num. 1 = 2. & lib. 13. num. 75. ubi
ejusdem mors & elogium.*

II.

AMATOR CRUCIFIXI

*Percussoribus suis divinam clementiam,
verbis Christi in Cruce prolatis
conciliare conatur.*

32.
IACOBVS
SALESIVS
Gallus
Arvernus.

IACOBVS SALESIVS Gallus, vir litte-
ratissimus, hæreticorum terror, nun-
quam improvisò vel adortus est secta-
rios, vel ab ijs impetitus, quin respon-
sum illi esset ad manum. Tenerrimo au-
tem pietatis sensu, & velut ecstático fe-
rebatur in DEVM. Inter meditandum
Divina, nunquam aliò mente aberrat.
In omni colloquio sermonem infe-
rebat de DEO Divinisque rebus. Insti-
tuebat cætus, & quasdam velut Acade-
mias sociorum, qui Sanctis ex condi-
cto sermonibus universam sæpe fami-
liam accendebant.

Porro, Sanctissimum CHRISTI Do-
mini CRUCIFIXI Corpus, eximia pieta-
tate, cultuque prosequabatur, nullaque
de re libentius ardentiusque loqueba-
tur. Inter sacrificandum nullas patieba-
tur animi vagationes, totus in mysterio,

in

AMATRIX CRUCIFIXI. 61
in quo recolitur PASSIONIS DOMINI-
CÆ MEMORIA, & in alium penè homi-
nem transformatus, Divini amoris, quo
ardebat magnitudinem, tot ille modis
exprimebat, ut nunquam sibi facere satis
videretur.

Creber ejus erat de Martyrio sermo,
non quasi tantum à DEO expectaret
munus, sed quasi cupidissimè appeteret,
quod consequutus est. Siquidem in ma-
nus Calvinianorum venit, à quibus ve-
xatus, & post contumelias verborum,
verberum acerbitatem expertus, ran-
demque oppressus malevolentia Mini-
strorum, inter conciliandam suis percus-
soribus Hugnoticis divinam clemen-
tiam, nunc CHRISTI IN CRUCE penden-
tis, nunc Stephani Protomartyris ver-
bis, vulnus, laxato in humeros sclope-
to, accepit: quo ictu cum pronus in
terram corruisset, IESVM inclamans,
gladijs ac pugionibus confossus est, Al-
benaci in provinciâ Vivariensi VII. Fe-
bruar. Anno M.D.XCII I.

*Littera Soc Gall. Anni 1593. Provin. Lugdun.
Jacobus Gualterius in Tabula Chronograph. Seculo
16. p. 746. Saussaius in Complemen. Martyrol. Gal-
lic. Benzon. lib. 1. cap. 9. Oddo Giffey libello pecu-
liari. B.S.*

III.

AMATOR CRUCIFIXI

*In fine vitæ Crucifixi Vulneribus piè
salutatis exspirat.*

33.
IOANNES
MAGIRVS
Germanus.

IOANNES MAGIRVS, natione Germanus, patriâ Confluentinus ad Rhenum, ætatis initio, Societatis IESV ineundæ propositum conceperat; sed eo per alienas curas, ut fit, frigescente, ecce frater ejus germanus vitâ non diu ante functus, illi per quietem apparuit, levitatem & morum licentiam exprobrans, Sacrum è CHRISTI CRUCIFIXI latere manantem CRVOREM manu exceptum coniectando, cum his vocibus: vide, ne hic SANGVIS incassum pro te effusus sit.

Quo ille monito ictus, constantiam optimâ hereditate relictâ, ad Religionem attulit: & Societati partim docendo, partim concionando, partim missionibus obeundis bonam operam navavit. Tandem febris correptus, ubi ad extrema venit, cælesti Salvatoris CHRISTI, & S. Ignatij oblatâ specie, ita recreatus est, ut plus quàm humano gaudio delibutus, febres se longè sanitati ante ferre diceret.

Denique Sacramentis ritè perceptis,
Socios

CVLTRIX CRVCIFIXI. 63

Socios ad obedientiam hortatus, & CHRISTI CRVCIFIXI SACRIS VVLNERIBVS pijsimè salutatis, commigravit, Spiræ, viii. Septemb. Anno M.DC.IX, ætatis LI. Religionis xxviii.

Litt. Soc. Elogium vita.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

Vltimam vitæ noctem orando, & intuendo Christi Crucifixi imaginem iucundè transigit.

IACOBVS VVICVS Polonus ad animarum quæstum faciendum semper fuit attentissimus. Sensu pietatis tenerissimo ad omnem rerum piarum tractationem. In extremo vitæ actu Sanctum Augustinum imitatus, Psalmos de Pœnitentiâ sibi prælegi mandavit, quos non sine largo fletu meditabatur.

Noctem ultimam susceptis Sacramentis solidam orando transegit, oculis in CHRISTI CRVCIFIXI effigiem defixis: manibus ad pietatem conjunctis. Obijt magna sanctitatis opinione Cracoviæ xxvii. Iulij, An. salutis M.D.XCVII. ætatis LVII. Religionis xxxii.

Litt. Polon. Elogium. Bibliotheca Soc.

V.

AMATOR CRUCIFIXI

*Optat eo die mori, quo Christus in
Cruce mortuus est.*

35.
IACOBVS
GORDONVS
Scotus.

IACOBVS GORDONVS HUNTLÆVS
Scotus perillustri sanguine, & qui
regiam Scotiæ attingit, natus. Nun-
cium Apostolicum egit in Hibernia, Vi-
ce-Provincialem in Aquitania, CHRISTI
Confessorem in Angliâ & Scotiâ, ubi
carceres & vincula perpeffus, Regia co-
gnatione impunitatem largiente virtuti
evasit, quum maluisset mortem obire.
Danim quoque & Germaniam, ac reli-
quam ferè Europam plerumque pedes,
homo id ætatis, nobilitatis, virtutis per-
agravit, ut rem Catholicam, præsertim
in Scotia patria sua promoveret. Atque
unum hoc in morte doluit, quod non
in Scotiâ pro CHRISTO CRUCIFIXO in
patibulo moreretur.

Hoc tamen beneficij assequutus est,
ut post aliquot hebdomadarum languo-
rem triduo ante Parasceven, magnoperè
optaret eo die excedere, quo CHRISTVS
pro nobis CRUCIFIXVS obiisset, idque
ipse rogasset DEVM, postquam sacris
Mysterijs instructus est, eo ipso die, qui
fuit XVI. April, Anno M. DC. XX. placidif-
simè

IMITATRIX CRUCIFIXI. 65
simè expiravit. Lutetiæ Parisior. ætatis
LXXVII. ab inita Societate LVII.

Relat. Gall. Elog. B. S.

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

*Acerbissimos morbi lethalis dolores collo-
quijs cum Crucifixo temperat.*

IOANNES VREMANNVS natione Dal-
mata ad Sinas profectus cum Nico-
lao Trigautio Macai substitit. Et
cum crebris vexaretur stomachi dolo-
ribus Nancianum destinatus in itinere
morbum validiorem contraxit, quo bre-
vè confectus est.

36.

IOANNES
VREMAN-
NVS Dal-
mata.

In eo morbo, cum vix hæreret ossi-
bus, nec sine alterius ope se posset in
latus convertere, cruciatus suos tempe-
rabat dulcissimis cum CHRISTO collo-
quijs, cujus effigiem semper habebat ad
manum. Sanctorum res gestas sibi vo-
lebat identidem recitari, interpositis
Psalmis pœnitentialibus, ut sua ex illis
sensa repetere posset, & miscere sermo-
nes. Flagrabat amore divino studioque
proferendæ apud Sinas ejus gloriæ, cui
tamen, cum non posset satisfacere liben-
ter se aiebat morem gerere divinæ vo-
luntati.

Sacrum Sigillum Indulgentijs insi-
gne dextro brachio cum illigasset, paullo
post,

66 SOCIETAS IESV

pòst, pronuntiatis tertio Sacro-Sanctis
nominibus IESV & MARIÆ, oculis in
CRUCIFIXVM Dominum defixis, spiri-
tum suavissimè exhalavit Nanciani in
Sinis, die XXI. April. Anno M.DC, XX.

Litt. Sin. Elog. B. S.

VII.

AMATOR CRUCIFIXI

*In fine vitæ pollicetur sibi salutem de
Sanguine & Morte Salvatoris IESV.*

37.
ROBERTVS
SOUTH-
WELLVS
Anglus.

ROBERTVS SOUTHWELLVS Anglus,
è patriâ fidei Catholicæ causâ pro-
fugus, postquam Romæ Societatem
IESV fuit ingressus, redijt in Angliam,
ubi strenuè desudavit in amplificandâ
tuendaq; re catholica adversus Elizabe-
thę Regine furorem. Sed tandem captus,
examinatus, tortus, capitis sententiam
excepit, reus majestatis, quia Sacerdos,
quia Iesuita esset. Die supplicio destina-
tâ, admonitus paucas superesse vitæ ho-
ras, ejus nuncij lætitiâ amplexu, &
nocturno pileolo, quem unum habebat
reliquum remuneratus est.

Sub patibulo consistens in curru, li-
gatis, uti erat, manibus, sacra se CRUCE
signavit, dixitque: sive vivimus, sive
morimur, Domini sumus. Ecce huc ad-
ductus sum, ut ultimam calamitosæ
hujus

AMATRIX CRUCIFIXI. 67

hujus vitæ scenam agam: rogo itaque
D. N. IESVM CHRISTVM Salvatorem
nostrum, de cujus preciosissimo SAN-
GVINE, & MORTE mihi salutem polli-
ceor, ut animæ meæ misereatur,

Confiteor atque protestor me esse Sa-
cerdotem Catholicum Sanctæ Romanæ
Ecclesiæ, & Religiosum de SOCIETATE
IESV. Pro quibus in me beneficijs im-
morales gratias ac laudes reddo DEO
ac Domino meo. Tum CRUCE denuo
formatâ, sublatis in cælum oculis spiri-
tum suum DEO commendans, submoto
curru suspensus est. Anno M, D. XCV. die
tertio Martij.

*Annua Societ. IESV Provin. Rom. Miss. 1592.
Pitfeus Catal. Scriptor. Angl. Arnold. Rayss. in
Hierogaz pag. 171. Benzon. lib. 1. cap 9. Andreas
Eudamon. Apol. Garnet. cap. 6. Clarus Bonarsaus
Amphith. Honor. c. 4. Index Mart. S. 1. CVIII. B. S.*

VIII.

AMATOR CRUCIFIXI

*Passionis Christi in se cruciatus
experitur.*

IOSEPHVS ANCHIETA natione Cana-
rinus, seu, ex Insularum Fortunata-
rum unâ, cui nomen Tenerifa, Bra-
sillium Apostolus appellatus, & seculi
sui

38.

IOSEPHVS
ANCHIETA
Canarinus.

fui Thaumaturgus, scribitur participasse quattuor dotes, quas Adamus in statu Innocentiæ obtinuit. Nempe, Dominium in animantia: voluntatem rectam: Intellectum illuminatum: Corpus impassibile. De singulis admiranda sunt exempla. De quarta tamen meritò ambigitur.

Si quidem licet haud quaquam laboribus incredibilibus par fuisset mortale & passibile corpus, nisi divina vi firmaretur; cum inde à tirocinio per nimiam contentionem compagine illi ossium solutæ fuerint cum vitæ discrimine; exinde, per annos quatuor supra quadraginta continuatis itineribus malè per saxa, per cænum nudis incedens pedibus sit exercitus; divisus ex æquo diei noctisque spatijs ad precationem & ad laborem, quiete brevissimâ humi carptâ è duro ligno, vel fasce veprium capiti supposito:

Tantum tamen abfuit à vacuitate doloris (à quo vacuus omninò fuit Adamus Innocens) ut præter ea, quæ memorata sunt, à CHRISTO singularis gratiæ compos sit factus, ut PASSIONIS ipsius in se CRUCIATUS aliquando persenserit. O beneficium omnibus CRUCIFIXI Amatoribus optandum! Quod miramur in Anchieta, qui demum laboribus magis quàm annis confectus obiit in Vico

CVLTRIX CRVCIFIXI. 69

Reritiba, die IX. Iunij, Anno M. D. XCVII.
ætatis LXIV.

*Sebastianus Barretanus libris 4. de Vita An-
chieta. Imago primi seculi Societ. lib. 1. p. 167. lib.
5. cap. 5. p. 626. & alibi B.S.*

IX.

AMATOR CRVCIFIXI

*Optat esse Vir dolorum à plantâ pedis
ad verticem capitis, ut reipsa pro se
Virum dolorum, Christum in Cruce
exprimat.*

TALES fuerunt desiderio plurimi ex
Amatoribus CRVCIFIXI, pauciores
facto: inter quos meritò nominatur

39.
IOANNES
DE RIBE-
RA Indus.

IOANNES DE RIBERA Indus, licet
origine Hispanus, natus in America
provincia, quæ Nova-Hispania dicitur.
Hic Societatem IESV ingressus, & in
eâ professus, post exantlatos in CHRISTI
Redemptoris causâ labores innumeros,
diurno, eoque acerbissimo morbo
exercitus, & purgatus est.

*A planta pedis usque ad verticem capitis non
erat in eo sanitas; sed ulcus & plaga tumens,
scabies, & tubercula, tumoresque intrin-
seci, qui subinde animam illi ita inter-
cludebant, ut propè excluderent; co-
gebaturque mutato semper situ, quie-
ti aliquam partem quæritare, quam
nun-*

nunquam tamen inveniret.

Et inter hæc gratias Deo identidem referebat, ejuſque ſe nutui totum permittebat, cui quo ſe perfectius accommodaret, hiftoriam S. Iobi, qui viva fuit imago CHRISTI PATIENTIS ſibi curabat prælegi, quam tacito deinde animo revoluebat, Recreatus autem à ſuo Conſolatore eſt, mortis, ac ſequutura ſalutis ſuæ prænunciatione certa, cujus ipſe omnem articulum temporis ſine errore ſignavit, obita eodem morte tranquilliffima, Manilæ die V. Iunij Anno M. DC. XXII. ætatis LVII. ab initâ Societate XL. Huic comes eſt

IOANNES
PLAZA
Indus incolatus.

IOANNES PLAZA ipſe quoque origine & ortu Hiſpanus, qui multis in Societate muneribus perfunctus, in ſines integros annos antequam è vitâ diſcederet, proſtratus articulorum doloribus jacuit perpetuò affixus lecto, nec leniter tractari poterat, ſine magnâ doloris amplificatione.

Ferebat ipſe omnia æquiſſimo animo, & quando acerbiffimus erat morſus doloris, ſublatis in cælum oculis, Tu, Domine, aiebat, Tu verbera injunge: ego interim *Miferere* percurram. Et quidem tantis illum incommodis Divina Majestas exercuit, ut meritò à multis diceretur Societati donatus, ut poſteris daretur EXEMPLVM PATIENTIÆ.

HOC

IMITATRIX CRUCIFIXI. 71

Hoc autem toto tempore, nihil in servandis Ecclesiæ præceptis, de sua pristina severitate remisit. Horariæ certè precationis pensum, etiamsi ad vertenda folia alienis manibus indigeret perseveranter exsolvit; donec tandem victus morbis è vitâ Mexici discessit, Anno M. DC. II. ætatis LXXV. initæ Societatis XLIX. Mexicanæ peregrinationis XXVI.

Epist. Ind. Occid. Elog. vit. B. S.

X.

AMATOR CRUCIFIXI

Crucem, amoris tenerrimi in Crucifixum tesseram, toto vitæ mortalis tempore collo appensam, in sepulchrum secum inferri curat.

PETRVS ANTONIVS SPINELLVS, natione Italus, patriâ Neapolitanus, Caroli Ducis Seminaræ filius, quæ primum die sub CRVCIS vexillo, militaturus CHRISTO Societati IESV nomen dedit, eadem ut cuius Amatorem se fore declararet, & semper versaret animo, pusillam è ligno CRUCEM comparavit, quam amanter exosculatus, ut sponsam, in fædus amoris atque memoriæ amuletum, nec non in tesseram vitæ susceptæ, ac denique affectus in eum, quem per viam CRVCIS ambulando peropra-

40.
PETRVS
ANTONIVS
SPINELLVS
Italus.

bat

bat sequi, ad collum appendit. Ea monebatur identidem, ne in arrepto semel itinere CRVCIS Amatorum deficeret, aut langueret. Eam ipsam CRUCEM exacto vitæ cursu, tumulo voluit secum inferri.

Hinc perpetuus fuit in illo CRUCIFIXI amor, jugis imitatio; eratque, si quis alius CHRISTI Cruciatibus meditando addictissimus, & CRVCIS horro- rum studiosissimus. Nulla illi dies immunis transijt à flagellatione, aut cilicio. Iejunabat per Adventum, & quatuor diebus hebdomadatim per annum: pervigilijs etiam omnibus Beatissimæ Virginis & Sanctorum Tutelarium, quos habebat complures.

Setiæ, quæ urbs est Campaniæ, excitatâ ad CRUCIFIXI amorem, ac CRVCIS cultum concione, ingentem ipse, ac planè trabalem in humeros sustulit, & persequentibus oppidanis, in editum imminentis montis jugum sub onere fatiscens, ac debilitatus, detulit tamen, atque ad publicam fixit venerationem.

Vix quaternas horas dormiebat, & humi id quidem, vel nudo super asserere: quod si in lecto, culcitriæ facturâ ita utebatur conglobata, ut nihilo esset asserere molior: insternebatque non rarò lapillos, aut alia ad tormentum. Tantus erat

AMATRIX CRUCIFIXI. 73

erat CRUCIS, quam sibi principio desponderat, Amator.

Vt sensit morbum lethiferum, conscientia rationibus pridem subductis, omni pietatis exercitatione se ad obitum comparavit. Ad DEVM eo tempore suavissima frequenter colloquia dirigebat. Paulò ante decessum ad beatam æternitatem aspirans brachijs nunc expansis, CRUCIFIXI in morem, nunc ante pectus contractis (quomodo CRUCEM exprimunt) suspiravit. Ac demum post invocatam MARIAM DEIPARAM, quam semper ut Matrem tenerrimè amaverat, ac coluerat, & Angelos ad DEI laudes invitatos, in illis verbis: Subvenite Angeli DEI, placidissima morte conquievit. Romæ die XIV. Decemb. Anno M. DC XV. ætatis LX. Societatis XLII.

Litt. Rom. Ioannes Rhó histor. virtut. variar. c. 2. lib. 3. B. S. Elog. Vit.

DECAS V.

I.

AMATOR CRUCIFIXI

Vt Christo Patienti compatiatur flosculorum delicias in morbo spernit.

41.

VALERIVS REGINALDVS natione VALERIVS
Burgundus, qui multa scripsit ad REGINAL-
DVS Bur-
D Forum gundus.

Forum pœnitentiale spectantia, vir fuit singulari demissione animi, meritò inter Amatores CRUCIFIXI recensendus, cum tenerrimâ fuerit pietate erga CHRISTVM PATIENTEM, de cuius doloribus commentationes scripserat, quibus se frequenter exercebat. Toto extremi morbi tempore CHRISTI PASSIONEM sibi prælegi curavit. Et ut se conformaret, & compateretur, ne flosculos, quidem, animi recreandi causâ à fratre quodam oblatos, admisit. Bis tẽr-ve in hebdomadâ, fideiculis in se læviebat CHRISTI FLAGELLATI memor usque ad decrepitam ætatem.

Nunquam à januâ, quò crebrò vocabatur, ad suum cubiculum regrediebatur, nisi salutatâ Venerabili Eucharistiâ, negans decere famulum quoquam, sine Domini sui veniâ digredi. Nuncium mortis cum gaudio excepit. Sub mortis horam, cum a quoptiam laudis aliquid ingereretur, mixtis cum gemitu suspirijs dicebat: Ne, quæso, me vestris blanditijs mulcere pergatis: nec vivus laudari cupio, nec mortuus: id agite potius, ut vestris precibus uberes mihi à DEO lacrymas impetretis, quibus eluam peccata mea. Tum vitâ universa per exhomologesim recognita, divinoq; epulo refectus, piè cõquievit in Domino, D. Æ. XIV. Martij, An. salutis M. DC. XXIII.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

*Crucem cuspidinibus horridam nudo pe-
ctori applicat, & insigit.*

THOMAS SAILLIUS Belga CHRISTI
CRVCIFIXI Cultor tam eximius
fuit, ut si quid videri posset in hac re ni-
mium, nimius ipse fortasse quibusdam
haberetur. Erat sanè in se rigidus &
asper: in alios mollis & suavis. Multâ
se inediâ macerabat, algore, humicuba-
tione, dirâ flagellatione, hirtio cilicio.

42.

THOMAS
SAILLIUS
Belga.

Sed pium simul atque ingeniosum
tormentum fuit CRVX sesquipalmaris,
tota superficie præacutis munita stimu-
lis, quinque cuspidinibus altiùs in
CHRISTI VVLNERVM reverentiam ex-
stantibus, nudo pectori applicita; quam
pugno impacto cum detestatione suo-
rum peccatorum sibi imprimebat iden-
tidem magno cum dolore, nec sine san-
guinis effusione. Profectò hinc CRVCIS
Amatori parum fuit humeros CRVCI
subjicere, nisi etiam pectore profiteretur.

Proximo ante mortem die, cum in
Sacellum, Confessionum audiendarum
causâ, more solito venisset, Socio, quem
habebat Sacerdotem, ipso in loco, quod
nunquam aliàs ab eo factum, prius est

confessus, quàm ad faciendum Sacrum accederet. Sumptis in Sacro Sacramentis paralyti membra luxari præsentiscens, socium admonuit, à quo substratæ humi culcitæ raptim impositus est. Domum paulò post relatus, sacro poposcit oleo inungi, atque inter illustria pietatis, & humilitatis exempla atque argumenta, sanctam egit animam, Bruxellis die VIII. Martij. Anno salutis M.DC.XXIII, ætatis LXX. Religionis XLIII.

Litt. Flandro-Belg. Antonius de Balinghem in Kalendario Mariano, Mart. 8. Ioan. Rhò. lib. 3. hist. Exempl. cap. 7. B.S.

III.

AMATOR CRUCIFIXI

Dolores morbi sui, recordatione Christi Passi ac Crucifixi mitigat.

43.
ANTONIUS
GAVDIER
Gallus.

ANTONIUS GAVDIER Gallus, qui de Sanctissimâ CHRISTI IESV, DEI & Hominis amore; nec non de verâ CHRISTI IESV, DEI & Hominis imitatione scripsit egregiè, vir fuit multæ orationis & mortificationis: in discernendis spiritibus acutus, in dijudicandis animi motibus sagax, in detegendis Dæmonis fraudibus solers & perspicax, in omnibus hominis religiosi officijs strenuus ac diligens: disciplinæ tenax, Regularum amans, instituti constans exactor,

IMITATRIX CRUCIFIXI. 77

actor, observator, & propugnator.

Hic in extremâ suâ ægritudine peracutos dolores, quibus conflictabatur, assiduâ CHRISTI CRUCIFIXI Servatoris, & tenerrimo in sanctissimam ejus Humanitatem affectu leniebat. Prædie quàm obiit, socijs circumfusus verba fecit pietatis plenissima: & Sacramentis munitus ad Amatum suum AMATOR CRUCIFIXI præclarus, ut spes est, migravit. Anno partæ per CRUCEM salutis M.DC.XXII.

Litt. ann. & B. Societ. Elog. v.

IV.

AMATOR CRUCIFIXI

Morte appropinquante Crucifixi effigiem precibus & osculis continuo veneratur.

VINCENTIVS REGIVS, Sículus, vir egregiè doctus, nec minus sanctimoniâ clarus. Candor animi eximius, sincera in omnes caritas, insignis sui despicientia, & ceterarum exempla virtutum auctoritatem illi apud omnes conciliabant. Is dulcissimo pietatis sensu, ac præcipuè tenerrime in Beatissimam Virginem amore, quasi exundans, facillimè aliorum quoque animos eodem igne inflammabat. Idem fecisse æstu, quo flagrabat erga CRUCIFIXVM non dubito.

44
VINCENTIVS REGIVS SICVLVS.

Certè, cùm ultimum vitæ suæ tempus imminere conspiceret, CHRISTI CRUCIFIXI, & B. Virginis effigies manibus acceptas, totâ die, quâ precibus, quâ osculis complexus est, sicque suavissimè expiravit, Panormi, die XVI. Decemb. Anno M.DC.XIV. ætatis LXX.

Litt. ann. Sic. B. S. Elog. V.

V.

AMATOR CRUCIFIXI

*Sub mortem, frontem, os, pectus,
Cruce signat.*

45.
PETRVS
XIMENEZ
Hispanus.

PETRVS XIMENEZ Hispanus, Vir fuit excellentis ingenij, doctrinæ, pietatis. Divinarum rerum studio impensissimè tenebatur, & in abditissimos illarum recessus penitissimè penetrabat. Omnino frequens erat & sedulus in Venerabili Eucharistiâ, quæ CRUCIFIXVM IESVM nobis exhibet, colendâ. Ea pietate, ac jucunditate litabat, ut sæpè debuerit præ Divinarum consolationum vehementiâ in Sacrificio Missæ subsistere; nec à Sacro faciendo abstinuit, vel in ætate debilissimâ, quamdiu se potuit in altari ad populum de more convertere. Duobus post se Sacrificantibus solebat adesse ad gratias Deo referendas.

In extremo morbo nihil quiritari;
semper

AMATRIX CRUCIFIXI. 79

semper de rebus divinis, quoad potuit, loqui; aquâ se sacrâ identidem lustrare; fröntem, os, pectus CRUCE signare, donec Sacramentis instructus placidè tandem conquievit, die XXIX. Novembr. M. DC. XXXIII. ætatis LXXXI. ex quibus LIX. in Societate CRUCIFIXO consecravit,

Litt. Gall. Elog. Vit. B.S.

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

Cacodæmonem ab obsessis Crucis signo exturbat.

PROPRIVM est id Exorcistarum, quorum exempla sunt plurima: & est maximè in usu Societatis IESV Exorcistis. NICOLAUS CYROWSKI Polonus, Vir fuit spectatæ humilitatis, cui perperat cum DEO per orationem familiaritas. Is missus à Superiore ad Dæmonem ab energumeno exturbandum, id oratione, & ducto CRUCIS SIGNO perfecit feliciter. In supremâ ægrotatione, cum illi Medicus orationis exercitio interdixisset, voce, oculis, lacrymis consuetus pietatis sensus erumpebat. Obijt Phrasi XXIII. Maij, Anno M. DC. XXV. ætatis LVI, Religionis XXXIX.

46.

NICOLAUS
CYROWSKI
Polonus.

Litt. Pol. Elog. Vit. B.S.

D 4

VII.

VII.

AMATOR CRUCIFIXI

Illum sibi statum, gradum-ve in Religionē suā eligit, qui plus Crucis habet.

47.
MELCHIOR
NUNNIUS
BARRETVS
Lusitanus.

MELCHIOR NUNNIUS BARRETVS Lusitanus ad Societatem IESV admissus, cum hæc distincta in omnes suos gradus à Fundatore Ignatio esset, & Præpositus Provincialis Simon Rodriguez Conimbricensibus Socijs edixisset, ut quem quisque gradum adamaret, scripto ederet; respondit, æquata in lance ad omnia esse. Si tamen Professio plus aliquid dignitatis aut gratiæ apud homines, aut commoditatis ferat, malle se Adjuutorum temporalium esse coquum: si plus adferat perfectæ virtutis, plus CRUCIS, plus tolerantia, dedecorum, & injuriarum, plus ærumnarum, atque periculorum ad excolendam Domini vineam, & propagandam, se quidem talia cupere.

Posteà, ad Indos Orientales missus, apudque eos strenuè laborans, cum S. Ignatius, per litteras significasset, ut Professorum Vota ederet, incredibilem inde caput animo voluptatem, quod ad eum Societatis gradum silens ipse lectus esset ab Ignatio; non quod id quasi honoris

CVLTRIX CRVCIFIXI. SI
noris vocabulum ambitiosius expere-
ret; sed quod (ut aiebat) ea Beati Viri
lectione iudicioque auctam sibi spem
esse Divinæ lectionis, prædestinatio-
nisque. Addere potuisset: Professorum
in Societate Gradum plus CRVCIS,
quàm alium quemlibet continere.

*Alba Lust. litt. Ind. Nicolaus Orlandin histor.
Societ. p. 1. lib. 4. num. 56. lib. 13. num. 79. lib. 15.
num. 134. Franciscus Sacchin, histor. Societ. p. 2.
lib. 1. num. 158. B. S.*

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

*Moriens in patibulo, ut in Cruce, pro
Christo, post invocatos Sanctos cali-
tes, profitetur, in merito Sanguinis
Christi Crucifixi spem suam loca-
tam esse.*

IOANNES OGILBBVS Scotus, nobili
genere natus, in Societate Martyrij
impensè sitiens trajecit in Scotiam,
ibi que dignum operæ suæ fructum fe-
cit. Sed tandem in manus hostium ve-
nit, à quibus tractus, raptatus, exami-
natus, quæstioni subjectus, novendiali
pervigilio, quod stylis, acubus, velli-
cationibus sustinebatur, intentato per
ocreas ferreas crurifragio, proposita
etiam libertate, & lautis muneribus,

48.
JOANNES
OGILBBVS
Scotus.

D 5 opimo

opimo Sacerdotio, nobili conjuge, Regis benevolentiam tentatus, cum nihil impetraretur præter animosam constantiam hominis interriti, tandem reus Majestatis pronuntiatus est, quia Missas dixisset, quia non neminem ad fidem Catholicam abduxisset, quia Ecclesie Catholice munera alia obivisset.

Pridie, quam extremo supplicio subjectus est, lotis pedibus, ad suas, ut aiebat, nuptias, qui aderant, invitavit. Notem illam tumultuantes inter custodes molestam habuit. Postridie brevi, detritoque pallio sub axillam producit per populum frequentissimum, professus se suam mortem ejus auctoribus omnibus condonare, ut CRUCIFIXVS DOMINVS fecerat, pro Crucifixoribus suis orans. Tum patibulum, sive CRUCEM suam est exosculatus, carnificem complexus & gradus conscendens, Catholicorum, si quidam adessent preces efflagitavit, B. Virginem MARIAM, & Cælites invocavit alios: ad extremum, spem suam in SANGVINIS pretiosissimi à CHRISTO CRUCIFIXO fusi merito collocatam asseruit, donec de gradu deturbatus DEO gratissima victima pependit.

Tum demum populus magnam vociferatione condolere, execrari suorum immanitatem, rogare DEVM, ut populum innoxio in ipsorum capita sanguinis

IMITATRIX CRUCIFIXI. 83

nis infantis vindictam convertat. Mox
funere resecto, corpus concidit, quod per
carnificem, & pollinctores in infami
fontium loco humatum est. Ita CRUCI-
FIXI Amator egregius, Dominum suum
imitatus, animam suam pro Amato suo
dedit. Glasguæ in Scotia x Martij, Anno
M. DC. XV.

*Relatio Martyrij Ioan. Ogilbei, Gualterius in
Chronographia secul. 17. 1600. Oultreman Tabula
Viror. Illustr. Soc. IESV. Georg. Stengel. in lib.
cui titulus, Vis & Virtus exemplorum capit. 43.
numero 16. B.S.*

IX.

AMATOR CRUCIFIXI

*Conatur affectus pios in Christum Pa-
tientem longè latèq, dicto, & facto
propagare.*

PHILIPPVS HANNOTEL Belga sin-
gularem habuit in CHRISTVM PA-
TIENTEM affectum, qui perpetuo in eo
emicuit, quem ut quàm latissimè spar-
geret, edidit

49.

PHILIPPVS
HANNOTEL
Belga.

Meditationes varias, & piorum af-
fectuum formulas folijs expansis, ad-
ditâ singulis singulorum Mysteriorum
icone. Item, librum, cuius titulus: Exer-
tium Amoris pro nobis CRUCIFIXI. Ad
hæc, Praxim meditandi PASSIONEM
CHRISTI. Obijt CRUCIFIXI Amator

Anno M. DC. XXXVII. pestilenti morbo correptus, ipso die, quo tertium Philosophiæ cursum docendo emensus, solenni ritu de more, in gratiarum actionem Sacrum fecerat.

Litt. ann. Belg. Elog. vit. S. B.

X.

AMATOR CRUCIFIXI

Si petatur ab eo benedictio, Crucem format, sibiq³, & alteri à Crucifixo benedictionem petit.

50.
PETRVS RIBADENEIRA Hispanus.

PETRVS RIBADENEIRA Hispanus Vir præstantissimus, CRUCEM à puero in Religione Societatis amplexus CRUCIFIXVM semper adamavit. Admirationem illud habuit & laudem, quando ab Illustrissimo Viro, qui Legatus Archiducis Austriæ, postea Imperatoris ejusdem nominis II. in Hispaniâ erat, reditum parante in Germaniam, rogatus, ut sibi benediceret, non ante assensus est, quam Collegij Rector, qui aderat, imperaret. Tum verò se prosternens in genua, duxit manu CRUCEM, omnis benedictionis fontem, & addidit: DEVS utrique nostrum benedicat.

CVM Provincialis ac Socij ab agente animam, ut se, totamque Societatem benedictione donaret, expeterent, quia lo-
qui

AMATRIX CRUCIFIXI. 85
qui non poterat, digitum intendit in S.
Ignatij imaginem, quæ CRUCIS effigie
adjunctâ ornari solet, significans à quo
eam expectare oporteat; sicque ad CRU-
CIFIXVM suum benedictus à Domino
latus evolavit, Kalend. Octob. Anno
M.DC.XI. ætatis LXXXIV. Religionis LXXI.
Madriti.

*Nicolaus Orlandinus 1. p. hist. Societ. lib. 3. lib.
9. lib. 12. lib. 15. & 16. Franciscus Sacchin. 2. p.
hist. lib. 1. & 4. Imago primi sec. Societ. pag. 334.
738. 860. B. S. Elog. Vit.*

DECAS VI.

I.

AMATOR CRUCIFIXI

*Desiderat nudus, & Cruce onustus, per
plateas urbis homines ad pœniten-
tiam provocare.*

IULIUS MANCINELLVS Italus primâ
ætate innocenter traductâ, consilium
cepit Laureti vitæ religiosæ ineun-
dæ. Admissus ad exercitia spiritus, in ijs
obeundis tanta sui mortificâdi, compri-
mendique studio exarsit, tanta rerum
humanarum & propriæ existimationis
fastidio est captus, ut nihil cunctaretur,
nudus, si potestas fieret, laqueum collo
indutus, CRUCE onustus, per publicas ci-
vitatatis

51.
JVLIVS
MANCI-
NELLVS
Italus.

viratis suæ vias ad pœnitentiam homines elatâ voce provocare.

Per eos dies laterem è pavimento exemptum toties impegit in pectus, dum brachium lassaretur: & ex illo flagellis in se acrius desævire instituit. Mira deinde fecit, quæ inflammatissimi pectoris erga CRUCIFIXVM ardorem manifestarunt. Ipse pueros Christianæ fidei rudimentis imbuere, eorundem cantillantium agmini præire, atque præcinere; nosocomia, carceres frequentare, reos ad supplicium perducere; ipsas in prostibulis lupas ad virtutem deinde provocare, tanta efficacitate, ut una aliquando concione duas de viginti abstraxerit.

Penetrabat sese in stabula, in leprodochia, in graveolentissimos angi portus. Remiges in triremibus, rusticos pagatim, mutos, surdos, & quò magis erat quisque aliorum destitutus ope, eò impensius ipse quærirabat. Nullus eum contagij morus revocabat; quin & in afflatorum pestiferâ lue servitium non semel se tradidit. Hæc, & his similia, ac majora etiam suadebat Amor CRUCIFIXI.

Tandem defatigatus magis, quàm saturatus laboribus in Christi causa perferendis, Neapoli, ubi aliquot mensibus lecto affixus decubuit, Sacramentis recreatus, summâ animi vultusque hilaritate,

CVLTRIX CRVCIFIXI. 87

rate, pacatissimè expiravit, die XIV. Augusti, Anno M. DC. XVII. ætatis LXXXI. Societatis aditæ LXI.

Litt. Neapol. Elog. Vit. B. S.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

Litaniæ de Passione Domini quotidie piè recitat, aliâq; edit signa tenerimi in Crucifixum affectus.

L EONARDVS LESSIVS Belga, *Quo non doctior, atque temperata vita sanctius ordinem sequutus, Alter Belgiacis refulsit oris.* Ut quidam canit, in cubiculi sui pariete hanc epigraphen fixerat: AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST. Et erat ipse erga CHRISTI PASSIONEM teneritudine animi insigni. Unde illi par studium patiendi, & in adversis tolerantia tam robusta, ut ipse fateretur, se ijs quæ patiebatur malis parem haud futurum, nisi peculiari fuisset auxilio divinitus adjutus: morte graviora esse, & levius illis fore incendium, quo vivus conflagraret. Incredibilis illi dolor erat in vesica levanda, & cogebatur extremis temporibus plus centies diei noctisque spacio ad eum cruciatum.

Orationi plurimum temporis dabat, eaque sola annis plurimis, quæ conficere solebat

52.

LEONARDVS LESSIVS Belga.

solebat itinera conficiebat. Litanias Lau-
retanas quotidie recitabat honori Ma-
gnæ Matris, cujus clientelam esse certis-
simam salutis arrham non ambigebat.
Ab annis xxx. Litanias adjugebat de
PASSIONE DOMINICA. Atque ab annis
xx. Jubilum S. Bernardi : utraque nocte
concupia, cum à lecto surgebat. Unum
illi in malis solamen erat, CHRISTVS
CRVCIFIXVS, cum quo, post sumpta Sa-
cramenta pijsimè expiravit, Lovanij ad
diem xv. Ian. Anno M. DC. XXIII. Reli-
gionis LI.

*Elog. Vit. Leß. Imago primi seculi Societ. lib. 1.
p. 7. § lib 6. p. 847. 848. 877. litt. Lovan. B. S.*

III.

AMATOR CRVCIFIXI

*In theatro supplicij pro Christo perpe-
tiendi constitutus, manibus in Cru-
cem decussatis amorem suum
profretur.*

53.
HENRICVS
GARNETVS
Anglus.

HENRICVS GARNETVS Anglus, quem
Bellarminus olim auditorem suum
non dubitavit omni doctrinæ genere, &
vitæ sanctitate incomparabilem appella-
re, cum annos xviii. Anglicanam Christi
vineam, in summâ temporum acerbita-
te, magnis laboribus, vigilijs, periculisq;
excoluisset, tandem in hostium Eccle-
siæ

IMITATRIX CRUCIFIXI. 87

fiæ Catholicæ manus delapsus, in crimen læsæ Majestatis, per summam invidiam atque perfidiam vocatus, iniquissimo judicio oppressus, publicè Londini sententiam capitis sustinuit. In pegmate, quod ad suspendium conscenderat fidem Catholicam professus, hæreses Anglicanas detestatus, Regi ac populo lumen à DEO precatus: CRUCEM veneratus, ipso die Inventionis SANCTÆ CRUCIS, quam semper tantoperè quæsierat, SACRO, CRUCE religiosè se signans, manibus in CRUCEM decussatis, de scalis Amator CRUCIS dejicitur.

Sed CRUCE Amatorem suum mox honoravit CRUCIFIXVS Dominus. Si quidem, ubi carnifex corpus dissecabat, Spica de circumfuso stramine comparuit, quæ Garneti faciem vivis expressam coloribus, coronâ redimitam, & insertâ in eam CRUCE in fronte signatam, Angelico vultu sub mento decoram. Quod prodigium expressit feliciter Poëta hoc anagrammate:

Pater Henricus Garnetus

Anagram.

Pingere cruentus aristâ.

Quid petit hic vultus siccâ redivivus aristâ?

Quid frons? Quid sacris ora loquit a notis?

Nominis augurio, PINGERE CRUENTVS

ARISTA.

Garn

*Granete; agnosco vultum, opus, artificem.
Spica, tabella; DEVS pictor; color, unda cruoris.
Spica CRUCEM; vultum dat DEVS;
astra cruor.*

*Andreas Eudam. Ioan. Apolog. pro Garneto, An-
tua Societ. 1606, 607. Previn. Belg Coll. Angl.
Bombinus in vita Campiani cap. 11. Argentus Epist.
ad Reg. Polon. Guarter. in Chronol. Gordon. in Chrono-
log. Oultreman in Tab. Vir. Illust Soc. IESV B.S.*

IV.

AMATOR CRUCIFIXI

*Optat mori illa horâ quâ Christus in
Cruce expiravit.*

54.
GEORGIVS
FEDERVS
Germanus.

GEORGIVS FEDERVS Germanus Vir
fuit rarissimo animi candore, liber-
tate atque alacritate ad ægros ubique
juvandos primus: omninò caritate ad
homines à peccatis vindicandos singu-
lari, dignus qui eadem, qua CHRISTVS
Assertor N. pro nobis in CRUCE, die &
hora expiravit. Quod multorum CRV-
CIFIXVM Amantium est votum.

*Litt. Germ. super Elog. vita Alegambe in B.
Societ.*

V.

AMATOR CRUCIFIXI

*Ad imitationem Christi in Cruce nudi,
omni supellectile in fine vite se nudat,
& corpus flagello subicit.*

PETRVS SANCTIVS Hispanus in Mexicana Provincia, quam primus ipse rexit, plurimos ad fidem amoremque CRUCIFIXI perduxit, aut in ea confirmavit. Idem in summâ licet senectâ, memor CHRISTI IN PASSIONE FLAGELLATI statis usus est flagellationibus matutinis; cibo parco & communi, aquâ in potu, nisi morbus aliud poposcisset, indumento vili, & sola virtute conspicuo. Divinarum rerum commentationi ita assueverat, ut ne per quietem quidem aliud tractaret.

Accepto mortis nuncio supellectilem omnem cubicularem Superioribus remisit, unica retentâ imagine papyraceâ, quâ illa? & cujus? CRUCIFIXI, ut reor, quò NVDVM IN MORTE CHRISTVM nudus sequeretur.

Invisit agrum Prorex, qui cum post officia ultrò citroque delata ingereret de Republica quidpiam; respondit, tempus sibi breve esse, quo non oporteret abuti: daret sibi veniam hujusmodi sermonum.

55.

PETRVS
SANCTIVS
Hispanus.

monum. Sic impertitum benedictione
 (haud dubiè, formatâ CRUCE, quam eni-
 xè postulabat Prorex, Deoque brevi
 prece commendatum ab se dimisit, &
 ipse paulò post expiravit, Mexici die
 XVI Julij, Anno M DC. IX. ætatis LXXXIII.
 Religionis LI. magnâ opinione sanctita-
 tis, & tanquam Parens quidam, & Apo-
 stolus gentis Mexicananæ.

Epist. Ind. Occid. Elog. Vir. B.S.

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

*In senio solatur se diuturno vitæ in Cru-
 ce per multos annos exactæ martyrio.*

56.
 FRANCIS-
 CVS BOVTO-
 NVS Gallus
 Sequanus.

FRANCISCVS BOVTONVS, Gallus, Vir
 insignibus naturæ & gratiæ dotibus
 locuples, multarum pro CHRISTO CRV-
 CIFIXO ærumnarum perpeffione fuit
 clarus. Hic non unam in cælo laureolam
 creditur promeritus: nempe, Virginita-
 tis purissimæ, Doctrinæ exquisitissimæ,
 ac penè Martyrij. Linguam Sanctam, &
 Divinam Scripturam multos annos pu-
 blicè docuit: multa ad Divinorum Li-
 brorum intelligentiam scripsit. Tan-
 dem, obiit morrem ex Christiana cari-
 tate attractorum obsequio post diutur-
 num vitæ in CRUCE, per annos plurimos
 exactæ Martyrium.

Missus olim Constantinopolim cu-
 randæ

CVLTRIX CRVCIFIXI. 93

grandæ rei Christianæ causâ, annitenti-
bus per calumniam falsi nominis Catho-
licis, & hæreticorum Principum Lega-
tis, in tetrum carcerem unâ cum socijs
compactus est. Unde, cum magni cujus-
dam Viri operâ essent eximendi, uno
illorum pignori relicto, omni studio, &
quàm humillimis precibus egit, ut ipse
præ alijs suo periculo remaneret: atque
adeò ad multos menses retentus est.

Galliæ redditus, duodecim ipsos an-
nos, propè dixerim, neque manducans,
neque bibens, neque dormiens exegit.
Paleam tantùm ad stratum adhibebat:
solo pane & hausto semel in die juris de-
mensio victitabat: potio parca, &, ex vi-
no adeò aquâ macerato, ut vini sapo-
rem, atque adeò colorem ægrè tuere-
tur. Illam tamen victus duritiem com-
muni in convictu adeò tegebat, ut non
nisi curiosi exploratores perciperent. Eâ
fuit legum religiosarum observantiâ, ut
vel levissima quæque præterire religio-
ni duceret. Silentij & secessus usque
adeò amans, ut solâ caritate cogente, si
in publicum daret, nihil planè, ut ipsi
temporis deperiret. Quantus in eo vi-
geret CRVCIS amor, ultimus in vitæ
proscenio actus monstravit. Nam cum
teterima lues Lugdunum urbem popu-
latissimam Anno M.DC. XXVIII. depopu-
laretur, Superiores exoravit, ut unus es-
set

set ex ijs, quibus juvandorum ægrorum provincia credebatur. In quo negotio dum supra vires, agente flagrantissima caritate, in opus incumbit, immensos exhaustit labores; sed eorum amarorem, copiosa de cælo voluptas, & derivata è CHRISTI CRUCIFIXI imitatione dulcedo abstergebat. Quam quidem majorem esse dicebat ea, quam maximam in carcere pro CHRISTO majora Passo, senserat.

Correptus tandem lue, exquisitæ patientiæ luculenta argumenta in morbo dedit, & CRUCIS adamatæ, Chirurgum rogabat, ut emplastra ulceribus concarnata violenter revelleret. Et quando alia patiendi materia deerat, Infirmary orabat, ut chartis manui admotis ignem injiceret, his illum verbis compellans: ô! quàm bonum & suave est, mi frater, semper aliquid pati in corpore CHRISTI causâ dum vivimus.

Propè ad extremum ventum erat, cum fatiscentia membra vigore spiritus sustentans ad P. Ignatium Pompomum collegam, morbi violentiâ planè fractum adrepfit, eumque ritu Catholico ad supremam luctam inunxit. Mox sublatis in ejus stratum pedibus, vicissim ab illo, ægrè quidem, sed accepit tamen inunctionem. Nec ita multo post uterque
inter

IMITATRIX CRUCIFIXI. 95
inter pias voces ad CHRISTVM CRUCI-
FIXVM Amatorem suum evolavit, die
XVII. Octob. Anno M. DC. XXVII. ætatis
suæ Franciscus L.

*Theophilus Raynaudus in Mantissa ad Indicu-
lum Sanctorum Lugdunensium, litt. ann. Elog.
vita B. S.*

VII.

AMATOR CRUCIFIXI

*Christum Cruci affixum intuens, se ab
eo nolle separari profitetur, ac Re-
ligiosum statum amplectitur.*

FRANCISCVS BENCIVS Italus, cum
adolescens Romæ litteris operam
daret, ipso die Paschæ, postquam mane
Sacro-Sanctam Eucharistiam suscepit,
vespereque librum legeret de con-
temptu Mundi tanto sibi divino sensit
pectus amore inflammari, ut nisi nox
impedimento esset, confestim Confessa-
rium consuleret. Quare postero die adit
Confessarium, sed remissiore studio, ut
concepta referre verba, non animi sensa
videretur. Inter hasce accedentes & re-
cedentes curas, matre gravissimè ægro-
tante revocatur Aquapendentem, quæ
erat illi patria, in itinere cognoscit eam
decessisse: pergit nihilominus iter insti-
tutum: domum venit XVII. Kal. Maij.

Ibi mœroris plenus se quieti dat; ac,
du m

57.
FRANCI-
SCVS BEN-
CIVS Italus.

dum lacrymabundus noctem tranfigit, quæritque secum, quem habeat consolatore, pulcherrima ei CHRISTI è CRUCE pendentis effigies objicitur. Conversus magnis clamoribus & lacrymis CRUCIFIXVM sibi Consolatorem advocat, memorque præteriti voti, Ei se totum tradit, ab ipso opem petit. Sed recurrente rerum terrenarum curâ, propriaque territus imbecillitate, in ipso orationis fervore, quam cum CRUCIFIXO habuit rursus intepescit.

Sub hæc species aliæ objiciuntur, quibus omnibus ad susceptum de Religione consilium instigabatur CRUCIFIXI interim species perstabat; &, modò concepto spiritus fervore, modò prudentia carnis blandiente contrarijs æstuans sententijs ita CHRISTVM CRUCIFIXVM intruens loquebatur, ut se ab illo nollet separari; rursusque ab eodem peteret, sibi, ut ejus liceret voluntate ad humana fastigia contendere.

Tenuit hoc visum circiter horæ unius spatium, alternantibus semper, hortantibus ac dehortantibus sententijs. Postridie, cum visum domesticis narrasset, seque Societatem IESV cogitare, atque id iam pridem facturum fuisse, nisi matrem eo ictu percutere veritus fuisset, cognoscit à propinquâ, ad illam maxime in votis habuisse, idemque à DEO precibus

AMATRIX CRUCIFIXI. 97

precibus sæpe contendisse. Pendebat tamen adhuc animo, nec humana vincula abrumpere piger audebat.

Romam demum redijt, ac post multam curarum contrariarum conflictationem, confessione factâ peccatorum, certâ tandem in sententia vocationis constitit. Quo tempore, tanto rerum humanarum tædio teneri cæpit, ut cum summa sua admiratione, ne studia quidem litterarum, quibus antea delectabatur, neque libros attingere jam posset.

Ex eo tempore ad ultimum usque vitæ suæ terminum, tam certus, tamque lætus in suæ vocationis consilio semper fuit, beneficio CRUCIFIXI, ac si semper in primo tirocinio suo versaretur. Animi candore, morum simplicitate, comitate, & quod mirum est, in magnæ eruditionis viro, sincera humilitate, mitissimaque obedientia multum excelluit. Artem dicendi in Romano Collegio per multos annos docuit, magna felicitate, Orator insignis & Poëta egregius.

Tandem, laboribus confectus, magno clarissimorum Virorum dolore, cum in morbo, si unquam ante, suarum virtutum odorem diffudisset, migravit è vita, pridie nonas Maij Anno salutis M. D. XCIV. ætatis LII. postquam venit in Societatem XXVII.

Ann. Coll. Rom. Elog. Vir. B. S.

AMATOR CRUCIFIXI

*Inter adorandum Crucifixum, quem
manibus tenet, expirat.*

58.
PAVLVS
IOSEPHVS
ARRIAGA
Hispanus.

PAVLVVS JOSEPHVS de ARRIAGA, natione Hispanus, gente Cantaber, cum adolescens Madridij litteris operam daret, egressus aliquando in agrum deambulatum B. Virginis aspectu alloquioque recreatus, ab illa iussus est, ut sibi in Filij sui Societate serviret. Quod admissus fecit sincerissimè, illustria dans, tum in Hispania, tum in Peruana Provincia virtutum omnium documenta **CRUCIFIXI** Amator flagrantissimus.

A meridie Veneris ad usque meridiem Dominicæ, ita jejunabat, ut nihil gustaret, idque totis XL. annis constanter præstitit. Et cum rogante importunius Episcopo Chuquiabensi, bolum unum semel, ne illum offenderet, sumpsisset, valido stomachi dolore cruciatus est, donec bolum illum rejectavit: mirantibus cunctis, hominem viribus polentem, nec alias malè affectum, bolum unum nequivisse digerere.

Concionaturus aliquando in æde urbis principe de **CHRISTI PASSIONE**, tantâ obrutus est ariditate animi ac mortificatiâ, ut desperaret se posse dicere; ubi

CVLTRIX CRVCIFIXI. 99

ubi evasit in pulpitu; CRVCIFIXI gratia ac virtute mutatus est illicò, & incredibili suo, audientiumque motu CHRISTI CRVCIATVS exposuit.

Erat affabilis, mitis, patiens, nunquam querulus, nunquam immodicè iratus. Res sacras eximiâ reverentiâ tractabat. In sacrificio Missæ multis à DEO pijs motibus, sensisque recreabatur: multas ipse lachrymas reponebat, quæ sulcos duxerant suâ frequentia in ejus vultu.

Hic vir tot ornamentis clarus, cum tandem navigaret in Hispaniam, fœda tempestate navem jactante, vectores magno ardore spiritus ad constantiam in morte, jam in oculis obversante, atque ad exhomologesim hortatus est. Ipse expiatis omnibus in cameram se recepit, ubi genibus flexis, acclinis malo, inter adorandum CRVCIFIXVM, quem manu tenebat, spiritum sanctè exhalavit. Ceteri, postea facto naufragio, undis occupati sunt, paucis nando elapsis. Patris cadaver fluctibus è navigio abstractum, postridiè quoque fluitabat CRVCIFIXVM fovens arcto complexu. Quæ acciderunt haud procul Havana, Anno salutis M. DC. XXII. ætatis illius LXX. aditæ Societatis LV. Peruanæ commorationis XXXVIII.

Litt. Ind. Occ. per Elog. Vit. B. S.

AMATOR CRUCIFIXI

*Si lecto ob morbum affixus incommode
jacet, solatur se, quod commodius
in culcitra ipse, quam Christus
in Cruce jaceat.*

59.
IOANNES
WINTERS-
HOVEN
Belga.

IOANNES WINTERSHOVEN Belga,
cùm Sacerdos junioris in tertiâ, ut
vocamus, Probatione, institueret, cor-
reptusque morbo ad cælum suspiraret,
offerentibus precum suarum suppetias
ad recuperandam salutem; itane, in-
quiebat, cursum meum in cælum sata-
gitis impedire? Quin promovete ma-
gis. Sciscitantibus, ecquid incommode
jaceret? Enimverò, commodius aiebat,
quàm IESVS MEVS IN CRUCE.

Aquâ rosaceâ frontem mulcentibus,
ah, dicebat, quàm delicatum sub spino-
so capite, CRUCIFIXI, membrum. Tum
se visentes Sacerdotes rogabat, ut se
aquâ lustrali, cui vis est magna ab aquâ
lateris CRUCIFIXI, aspergerent; ac ran-
dem placidè in Domino quievit, Me-
chliniæ. Anno M. DC. XXV.

IMITATRIX CRUCIFIXI. IOI

X.

AMATOR CRUCIFIXI

*Passionis Dominicæ perpetuus
Meditator.*

IOANNES REBELLVS, Lusitanus in 60.
Societate ad omnem se virtutum di- IOANNES
sciplinam mirum in modum exercuit, REBELLVS
oratione excelluit, præstitit mortifica- Lusitanus.
tione, caritate erga proximos fuit ad-
mirabili. Itaque totos ipsos penè XLIV.
annos, quibus in Religione vixit, au-
diendis confessionibus, concione com-
movendis populis ad pietatem, Con-
gregationibus instituendis, sanctè uti-
literque traduxit.

Animarum, quæ in Purgatorio sunt,
& culparum suarum pœnas exsolvunt
assiduus atque pius auxiliator fuit: DO-
MINICÆ PASSIONIS PERPETVVS ME-
DITATOR: Beatissimæ Virginis MARIÆ
addictissimus servus, in cuius patroci-
nio adquiescebat, in eaque colenda,
laudibusque prædicandis multus erat.
Quo circa populos maximè hortabatur,
ut piis precibus, jejuniis, eleemosynis-
que defunctorum in Christo animas à
Purgatorii acerbissimis pœnis libera-
rent; & CHRISTI SALVATORIS IN
CRUCE AFFIXI memoriam perpetuò re-
tinerent;

tinerent; & ad Sacratissimam Virginem tanquam ad PORTVM, sive aspirante, sive reflante fortunâ confugerent.

Et ubicumque locorum poterat, sodalitates piorum hominum ad hæc TRIA præstanda instituit, ac legibus informavit. Itaque ejus operâ, pietas, orationis studium, & in CHRISTVM CRUCIFIXVM, ac ejus Matrem sanctissimam devotio est mirificè propagata.

Moriturus quantus esset CRUCIFIXI Amator, & quantopere ejus præsidio niteretur, ostendit. Nam cum illi crus fœdè intumescens perstringendum esset ære candenti, cæsimque ac punctim lancinandum, ne herpetis vitium in reliquum corpus proserperet, dari sibi postulavit in manus CHRISTI in CRUCE MORIENTIS SIMVLACRVM, ab illius amplexu doloris solatia petiturus. Itaque CRUCIFIXO suo affixus & inhærens ferri, flammæque cruciamenta fortiter toleravit. Sic exercitum probatumque mors sustulit, atque ad beatam vitam, ut speramus transtulit. Eboræ XIV. Julii, Anni M.DC.II. ætatis IX.

Lit. Lusit. Eleg. Vit. B. S.

DECAS VII.

I.

AMATOR CRUCIFIXI

Exoptat mori per cruciatus, ut Crucifixo Domino sit conformis.

BLASIUS PLOZZYNIUS, Polonus, Vir non doctrinâ magis, quam sanctitate excellens, cum Philosophiam, & deinde Theologiam publicè doceret, ea fuit animi demissione, ut carceres & nosodochia frequens inviseret: domi coadjutorum temporalium ministeria obibat, &, quæ alia humilitatis officia suggererat occasio, minimè negligebat. Omninò, nihil in eo fuit, quod non gratissimum sanctitatis, & innocentiae spiraret odorem.

61.
BLASIUS
PLOZZY-
NIUS Polo-
nus.

Is DEVM sæpè rogabat, ut sibi obire per cruciatus concederet, quo esset CHRISTO PATIENTI conformior; sed mortem haud multò productam, ne sociis esset gravis. Visus autem est utrumque à Domino CRUCIFIXO impetrasse; uti ipse quoque non-nemini ex Patribus significavit, die etiam designatâ, quâ esset moriturus.

Illo moriente duo Societatis Patres

ausi sunt à DEO per ejus intercessionem, verum dolorem de suis commissis poscere, & precum ea vis fuit, ut inusitata lachrymarum copiâ, cum magno animi sensu perfunderentur. Obiit tandem, ut exoptarat, in Collegio Calisfensi die XXII. Octobr. Anno M. DC. XXXIV. ætatis XLVI. ab susceptâ vitâ religiosâ XXVII.

Litt. Polon. Elog. Vit. B. S.

II.

AMATOR CRUCIFIXI

Circa mortis articulum salvari petit à Christo in Cruce, ut à Fonte pietatis crimina ablueret.

62.
AVGVSTI-
NVS CANVS
Indus Pe-
ruanus.

AUGVSTINVS CANVS natus Mexici splendidissimâ familiâ, ut Societatem est ingressus, statim ad omnem virtutis formam, tenore æquabili se accommodavit, ut consuetis domesticæ disciplinæ officiis quondam jam tum splendorem, & lucem suâ actione adderet. Orationi multum nocturni temporis, diurni, quantum poterat, procumbens in templo tribuebat. DEVM perpetuâ tanquam contemplatione ubique præsentem habebat. Corpus atterebat cilicio, & verberatione, iisque præfidiis

CVLTRIX CRVCIFIXI. 105

præfidiis tam illibatam perpetuò servavit castimoniam, ut nulla adversus eam cogitatione fuisse illum unquam tentatum adfirmant ii, quibus id erat exploratissimum.

In extremo morbo insolitis animæ deliciis visus est affluere. Illato in cubiculum sacro Viatico, exultavit animo ad Domini sui conspectum, & repetitâ bis confessione, veniam errorum à præsentibus postulavit. Ad preces consuetas eo tempore adhiberi, præsentem animo respondit. CRVCIFIXVM intuitus, alloquutusque non semel est illis verbis:

Rex tremendæ majestatis,

Qui salvandos salvas gratis,

Salva me FONS PIETATIS.

PLAGAS CRVCIFIXI, & ICONEM DEIPARÆ dissuaviatus, Tutelarium Sanctorum, quos in libello descripserat, curavit sibi nomina prælegi, & eorum patrocinia invocari. Interrogatus, velle ne DEVM sequi? nempe, hinc evocantem: Dominus est, dixit, quod bonum est in oculis suis hoc faciat. Denique sacro delibutus oleo placidissimè expiravit, in Vallisolerano Americæ Collegio, quod ipse tunc Rector administrabat. Hæsit mortuo velut risus in ore, & venustissima species vivido colore distincta.

Epist. Ind. Occid. Coll. M. ex Elog. Vit. B. S.

III.

AMATOR CRUCIFIXI.

*Quotidie minimum semel Christi Passi
membra singulatim salutatur &
osculatur.*

63.
GVLIEL-
MVS
WOLFF
METTER-
NICH GER-
manus.

GULIELMVS VVOLFF, dictus MET-
TERNICH Germanus, equestri ge-
nere ortus, è Collegio Germanico ad
Societatem venit. In eâ sanctissimè vi-
xit, commendatus à continuo propè o-
randi studio, ac Divina meditandi. Ex
quo tam uberibus de cælo deliciis a-
bundabat, ut à lacrymis sibi temperare
non posset, præsertim, inter sumendum
SS. Eucharistiæ Sacramentum, additis
etiam, consideratâ CHRISTI PASSI
humilitate usque ad mortem, gemitu-
bus atque suspiriis.

Ita autem inter sacrificandum obrue-
batur interdum, ut non posset perlege-
re Evangelium. Quodam die cum alteri
sacrificanti adisteret, impotens fletuum
ac singultuum, per omnem ædem sa-
cram auditus est. Plurimum afficieba-
tur meditandi CHRISTI pro nobis HV-
MILIATI, & PASSI HVMANITATE, sin-
gulisquè distinctè membris, oculis, au-
ribus, ore, linguâ, corde, manibus, pe-
dibus, actis ad singula gratiis (an non &
osculis? ita reor) postulatisque benefi-
ciis.

IMITATRIX CRUCIFIXI. 107

ciis. Ardenter optabat, Domini sui tam dira PASSI, & pro se MORTVI amore, quo flagrabat vitam profundere: si non posset cum sanguine; at certè in pestilentium obsequio, aut simili munere charitatis.

Quo semeripsum ad salutarem pœnitentiam commoveret. Exercitiorum spiritualium tempore consueverat, clausis cubiculi fenestris manus sibi & pedes ligare, ac humi projectus, tanquam DEI & DEIPARÆ perduellis, majestatisque reus veniam deposcere: quo demissionis exercitio mirificè proficiebat.

Tametsi verò corpus haberet laboribus, cauteriis, senio satis perdomitum admovebat illi tamen quotidie cilicia, flagella, aliasque afflictationes

Utebatur multum libello Thomæ de Kempis de Imitatione CHRISTI: eum ferebat in sinu: ex eo sibi vitæ præcepta petebat ipse, & aliis promebat. Domum laboribus succumbens obiit Colonix Agrippinæ die xxx. Martii M.DC.XXXVI. Ad extremum usque spiritum precibus intentus; ad quas, ut commodius, si per valetudinem liceret, è lectulo se corripere, vestitus in eo quiescebat.

Litt. ann. Prov. Rhen. infer. Elog. Vit. B. S. Supplementum post Appendic.

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

Ob minimas noxas publicam flagellationem, prelatâ Cruce, per urbem cum domesticis subit.

64.
EMANVEL
GODINIUS
Lusitanus.

EXEMPLUM est dignum admiratione, quod vidit in Societatis IESV Religiosis Conimbricæ, laudavit Lusitania, non omni ex parte probavit societas; commendandus tamen fuit fervor, & CHRISTI innocenter diriorum PASSI aliquatenus imitandi studium.

ANNO M. D. LII. cum in Lusitania Conimbricæ turbatæ aliquantulum fuissent res Collegii, & ob dimissos quosdam jugi impatientes, & ab iis sparsa essent in vulgus falsa multa, & Religioni invidiosa, Rector Conimbricensis

EMMANVEL GODINIUS, & ex defectu multorum, & ex rumoribus inde per urbem gliscentibus acerbissimum animo dolorem capiens, seque potissimum tantæ auctorem tempestatis interpretans; tum, quia mos est optimarum mentium, ut pœnas à Deo immixtas, quamvis innoxii sint, suis imputent noxis; tum, quia præcipuus ipse administrator severitatis fuerat, æmulatione priscorum Patrum, quos vehemens impetus spiritus

AMATRIX CRUCIFIXI. 109

spiritus sæpè admiranda cœpta proripuit, cōsulto multis cum lacrymis DEO, primisque domesticorum, exemplum de seipso publicum constituit sumere.

Ergò diei Sanctorum omnium octavo, convocatis in sacellum sociis, monitisque ut preces pro certo homine multum indigente (sefe intelligebat) simul cum totius Societatis, ac potissimum Lituaniæ, atque etiam egressorum ex ea culpis, ad DEVM enixè facerent: nec inde pedem, nisi admoniti essent, efferrent; nudato tergo, armatus flagello, prodit in publicum. Totam urbem sese diverberans obit: ac duodecim fermè horis celebrioribus, provolutus in genua, vocibus magnis, fleru, singultuque interruptis exclamat: Nobiles populisque Conimbricenses per CHRISTI Redemptoris PLAGAS, quicquid offensionis ex Collegio JESU vobis est præbitum, condonate mihi. En ego ille sum, cuius peccatum est culpâ, quicquid peccatum est. Iram hanc DEI mea commissa commeruere.

Sic obitâ urbe ad Socios in Sacello perseverantes, cum magno verberum fragore repentinus ingreditur. Antonitisque ad novam speciem, quid egerit, & quam ob rem, plenus lacrymarum exponit. Nec mora, cæteros idem ardor invadit Antonium Quadrium maxime,

ANTONIVS
QVADRVS
Lusitanus.

110 SOCIETAS IESU

ximè, qui veluti fuerat administrationis adiutor, ita culpæ, si qua esset, se participem contendebat. Ergò certaminis aliique idem sibi ut concedatur piaculum instant. Emmanuel tantis percunctatus, dum res consultaretur, denique calentibus animis ratus obsecrandum, iussis iterum in Sacellum convenire.

Hic, inquit, pariter congregati, quo fiat Divinissimæ TRINITATI acceptum obsequium vestrum, cum acceptissimis CHRISTI Salvatoris consociate SUPPLICIIS, qui se Hostiam pro nobis obtulit DEO & Patri in odorem suavitatis. Proponite igitur vobis eam speciem, quâ CHRISTVS totus CRVENVVS, cum horrenti spinarum sermo inoculari purpura est productus ad populum, & Præsidem audite: ECCE HOMO clamantem. Tum horæ unius spacio in spectaculi, hujus contemplatione exacto, Divinâ juvante gratiâ, & nos in publicum cum CRUCE nostrâ prodibimus.

Vix hora abierat, cum accensi omnes iratique sibi, & divinum quendam spirantes ardorem, præmoniti, ut non tam lacerando corpori intenti, quàm Dominum CRUCE oneratum per Ierosolymæ vias cogitatione sequentes, & quasi adiutantes irent, numero amplius sexaginta; validè sese cædentes egrediuntur.

Præfe-

CVLTRIX CRVCIFIXI. III

Præferebatur insigne vexillum pendentis è CRUCE CHRISTI, præibantque ex adolescentioribus duo sacris Litaniarum carminibus intonantes, quibus reliquum agmen inter plagarum crepitum succinens, mæsto murmure respondebat. Sequebatur ingens populi multitudo admirabunda, quæ ad id spectaculum convolarat.

Ita ad ædem misericordiæ ventum est. Hic mora aliqua supplicando ducta, convertitur sub fores ædis ad circumfusam multitudinem Rector cum sociis undique conglobatis, & suis peccatis tribuens, si qua in eorum animis facta offensio sit, supplex veniam rogat: insuper obtestans, ut ad propitiandum DEVM suas & ipsi preces adjungerent. Quæ cum dolenter, & perquam flebiliter enunciaffet, in eundem fletum auditores suos adduxit. Tum propè aram regressi, Rector certas recitat preces, ac subinde pariter omnes cum clamore, & lachrymis misericordiam comprecantur.

NON defuere, quibus hæc sancta quædam STULTITIA videretur. Necessarium certè exemplum tale non fuit. Mirum tamen quantum & animos civium, calumniis desertorum exulceratos leniit, & Sociorum pectora quodam quasi horrore perfusa, graviterque concussa

112 SOCIETAS IESV

cussa ad suscipiendos cælestis sapientiæ
fatus instauravit. Inde quasi ab secunda
origine ritè confitum, radicibus per ad-
versa altè actis, ac stirpibus segregatis
incommodis, Conimbricense Colle-
gium lætius feliciusque reffloruit, edi-
ditque deinceps perenni ubertate, Eu-
ropæ, Africæ, extremisque Asiæ genti-
bus saluberrimas fruges.

*P. p. historia Societ. Nicolai Orlandini lib. 22.
à num. 59.*

V.

AMATOR CRUCIFIXI

*Afidius est in Passione Christi
meditanda.*

65.
BERNAR-
DINVS ZA-
NONIVS
Italus.

BERNARDINVS ZANONIVS, Italus
fuit semper quàm diu vixit, disci-
plinæ Religiosæ ad exemplum usque ob-
servantissimus. Meminerat ille, se primo
statim in rationis limine ad DEVM ani-
mo fuisse conversum. Sacerdos è Socie-
tate, qui familiariter cum illo ad xx.
annos exegerat, adfirmabat, nullum se
ex illo verbum otiosum, ne dum ira-
cundum, aut amarulentum audivisse.
Omnes, præter se unum commendabat:
omnem verborum altercationem evi-
tabat.

IMITATRIX CRUCIFIXI. 113
tabat. Corpus flagello, cinctuque ferreo divexabat. Hæc illi amor in CHRISTVM CRUCIFIXVM suggerebat, cujus in PASSIONE meditandâ erat assiduus.

Tanta fuit opinio sanctitatis eximii hujus Amatoris CRUCIFIXI Domini, ut prius etiam, quàm vitâ fungeretur, Viri è primoribus, feminaeque, quantumvis dignitate maximâ de rebus aliquid deposcerent ad Reliquias. Obiit ubi vixerat, Genuæ die xxix. Martii, Anno M. DC. xx. ætatis circiter xē. Religionis initæ LX.

Litt. Mediol. Prov. Elog. Vit. B. S.

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

*Bacchanalium insolentiam Crucifixi
ostensione coërcet.*

LVDOVICVS BALLESTER, Hispanus ardentissimis concionibus per compita passim institutis plebem erudire solebat, comitantibus dicentem lachrymis, gemitibus, suspiriis, sequente frequentia Confessionum. Acerrimus erat & pietatis augendæ procurator, & vitiorum excindendorum vindex: tentavitque

66.

LVDOVICVS BAL-
LESTER
Hispanus.

vitque insperato quidem illo, sed felici
 successu licentiam Bacchanaliorum, que
 prorsus erat in Vrbe, ubi degebat ef-
 franis, coërcere, producto in compita-
 lem concionem, hinc Cadavere, illinc
 CHRISTI è CRUCE pendentis effigie,
 Quam rem Antiochenus Patriarcha,
 Archiepiscopus, idem Valentinus Ioan-
 nes de Ribera, nobilitate, prudentia,
 litteris, ac sanctimonia clarissimus tanti
 fecit, ut Ludovici per urbem tonantis
 imaginem curarit sibi coloribus expri-
 mi ad Viri venerationem.

In extremâ valetudine, vim morbi
 contractis ex diuturnitate jacendi ulce-
 ribus, totisque artubus dolens adeò pa-
 tienter tulit PATIENTIS CHRISTI
 Amator, ut vegetus valensque videri
 potuisset. Quare susceptis maturè Sa-
 cramentis, læto animo, vultu sereno,
 omnis timoris atque sollicitudinis ex-
 pers animam exhalavit, Valentia Kal.
 Maij, Anno M. DC. IV. ætatis LXXXII.
 Religionis LX.

Litt. Hisp. Pro. Val. Elog. Vit. B. S.

VII.

AMATOR CRUCIFIXI

Maximè delectatur Cruciatuum Christi Passi contemplatione.

ORGANTINVS SOLDVS, ut illum cognominat Nicolaus Trigaultius, sive GNECCVS, ut Franciscus Sacchinus, cōmuniter BRIXIENSIS, ab urbe Italiae, quam natalem habuit, cujus frequens est mentio in Litteris Japonicis, cū ageret Rectorem Lauretanum, studio lucrandarum CHRISTO animarum expeditionem in Indiam à Præposito Generali postulavit, impetravitque. Is multa apud Japones fecit præclare, multa etiam est passus, viginti & amplius annis Meacensem Christianitatem fovens & protegens.

Quia autem proximus erat periculo ne comprehenderetur, urgentibus Christianis, ut se furori persequentium subduceret, negavit se id facturum: absit (inquiens) hoc à me probrum; sic enim nec honori divino, nec vinculo, quo Societati obstringor, satisfecero. Quocirca DEO propitio cras primo diluculo, ut in CRUCEM agar, vel certè, ut naribus mutiler, atque auribus, aut, ut mecum demùm quicquid collibitum fuerit,

67.

ORGANTI-
NVS BRI-
XIENSIS
Italus.

116 SOCIETAS IESV

fuerit, tanquam promulgatore Evangelii exerceant. Sic postridie, aliis morientibus, mirantibus aliis, omnibus laudantibus in media sese pericula intulit. DEVS tamen, cui dies omnes nostri in numerato sunt in alia illum tempore servavit indemnem.

Postremo triennio, labores pro animarum salute suscepto; continuæ orationis suavitate leniebat, maximèque tenebatur DOMINICÆ PASSIONIS, & tormentorum in ea tolerantorum contemplatione. Obiit Nangasachii, Anno salutis M. DC. IX ætatis LXXIX. Religionis LVI. Japonicæ expeditionis XLII.

Epist. Japon. Elog. Vir. B. S. Histor. Societ. Sacchin. Nicolaus Trigault.

VIII.

AMATOR CRUCIFIXI.

Alacrymis concionem de Passione orditur, & lacrymis abrumpit; semper Crucem amans, ac Crucifixo suo conjunctissimus.

68.
ANTONIVS
MADRIDIVS
Hispanus.

ANTONIVS MADRIDIVS Hispanus, Concionator sui temporis celeberrimus, plurimum eloquentiæ habuit à lacrimis, quas inter dicendum concitatus effundebat ubertim, miserabili ad-
dita

ditata vociferatione. Sed nunquam violentiore imbre perpluebatur, quam cum de CHRISTI Domini acerbissimâ NECE ad dicendum aggrediebatur.

Fuit, cum lacrymarum procellæ haud potens repetitam sæpius orationem in ipso initio dicendi abrumperet cum illis verbis: Non mearum virium hæc concio est. Quo uno dicto solutus in lacrymas, crebroque anhelans suspirio defendit, magnâque concionis excitatâ comploratione felicissimè peroravit.

Hæc breviter ac eleganter facundus Encomiastes, ^a sed plura de hoc CRVCIFIXI Amatore, quæ huc spectant, habet Historicus, ^b quæ non sunt negligenda. Imprimis Madridius nihil avebat ardentius, quam summè ab omnibus despici, pessimèque accipi. Quod cum minimè succederet, abjicere ipse sese ubique, pro nihilo ducere: nullam prætermittere occasionem, qua sui amorem, quasi capitalem hostem vexare ac suffigere CRVCI posset.

Plurima flagitanti à Moderatoribus, quæ CRVCIS mortificationem spectabant, ne omnia denegarentur, datum id fuerat, ut ubi esset concionaturus, verberaret se, modò tamen plus octo verbera ne infligeret, cum ejus valetudo, ne ea quidem ferret. Instantique rursus, ut saltem ad spatium, quo Psalmus
quin-

quingagesimus pronunciaretur, cum esset Divina eloquia tractaturus. Producere verberationem privatim liceret, negatum id illi fuit, ne corpusculum attenuatum & confectum suspirio ac tabe voluntariis suppliciis plane conficeret: negatum etiam, quod efflagitabat, ut ad idem spatium se singulis hebdomadis publice in carnatione verberare permetteretur. Simplicem hanc obedientiam in CHRISTI Scholâ CRUCIFIXO ipsâ verberatione gratiorem fore sciret.

Solebat præterea hic SANCTÆ CRUCIS constans amator in communi etiam rerum usu assiduam captare asperitatis materiam: ac præ cæteris, cum brumæ gelu asperrimum inhorresceret, tum os collumque plurimum perluere gelida: & inter asperendam frontem aquâ lustrali ejus guttas per collare demittere. Admirabilis in eo fuit lacrymarum facilitas, quarum maxime ope, Hispali, Cordubæ, Vallisoleti, Salmanticæ, & ubicumque cum populo egit, miras animorum commutationes fecit. Et sanè, quod ad eum audiendum exciebat populos, invadebat corda, novos è concione homines dimittebat, id erat commotio, fervor, lacrymæ, cum quibus dicebat.

Quod tum videre erat imprimis, cum
ad

IMITATRIX CRUCIFIXI. 119

ad perorationem, brachiis ad modum
CRUCIS ante pectus implicitis, cervice
in alterum latus remissa, oculis humi
fixis, horrendum præconium quod olim
promulgabatur, dum CHRISTVS agere-
tur ad CRUCEM gravi ac miserandâ vo-
ciferatione representabat. Tum scilicet
cohorrescere primum universa concio,
dein colliquefieri flendo: postremò,
omnia singultuum ac gemituum confu-
so sonitu personare. Quo in æstu sæpè
fiebatur, ut defectus viribus Concionator,
nec tendere ultrâ valens, sermone ab-
rupto, languidus & propè axanimis in-
suggesti spondam collaberetur. Quod
ipsum spectaculum commiseratione au-
ditores, terrore, cura sui complebat,
ut nova quisque agitantes consilia, taci-
ti, & vix sui compotes redirent.

Postremam concionem, quasi cy-
gneam vocem ederet, in templo Socie-
tatis Kalendis Januarii eo spiritu & ar-
dore habuit, ut multi dicerent: Hæc
concio, non Doctoris Madridii, sed
Angelici è cælo fuit. Cæterum è sugge-
stu descendit, viribus usque eo exinani-
tis, ut inter manus in lectulum depor-
tatus gravi mox febris corripereetur. Pri-
die ejus diei quo est mortuus divinissi-
mo Sacramento instructus, omnibus,
melius illum habere affirmantibus, ro-
gavit, ut paulisper se solum relinque-
rent:

rent : ceterisque digressis , præter unum qui substitit invisus , ad CRUCIFIXVM , qui propè lectum erat , conversus , præter cetera hæc dixit :

Domine , migrare equidem vellem ; sed melius mihi jam esse nunciant . Tu de me id consule , quod in tuum manus obsequium cedit . Hæc autem frequenter interdiu noctuque vox illi erat in ore : Adsum Domine , ut placet , facito . Tandem , circumfusos placidè intuens , dixit : Valere Patres , ego eo . Tum ad CRUCIFIXVM denuo . O quàm vellem nunquam Te , mi bone IESV offendisse ! Quàm vellem vita mihi omnis in solo rui amore consumpta esset ! Dolet mihi , Domine , quod offenderim Te . Sed habes , ubi divitias bonitatis tuæ ostendas . Tu Agnus DEI , qui tollis peccata mundi & hujus scelerati peccata tolle . Post hæc cum beatissimam Virginem converso sermone , illam hymni clausulam , *MARIA Mater gratia , Mater misericordia , Tu nos ab hoste protege , Et hora mortis suscipe* , pronunciaffet , in sui Procreatoris manus spiritum exhalavit , pridè idus Ianuarias Anno M. D. LXIII . ætatis tertio circiter & quadragesimo .

a Ioannes Rhò lib. 3. histor. virt. cap. 2. apud quem est Medidius.

b Francisc. Sacchinus. hist. Societ. lib. 7. à n. 72.

IX.

AMATOR CRUCIFIXI

Non aliam habet, amatq³ supellectilem, quàm libros & Crucifixum.

FRANCISCUS DE MENDOZA Lusitanus, quem Præpositus Generalis dicebat Virum omnibus numeris absolutum, Concionatorem, Scriptorem, Doctorem, Superiorem, Religiosum perfectum, Deo fuit, per rerum divinarum tractationem, conjunctissimus. Orabat perattentè ac piè: omne Orationi otium dicarat: promptissimus in lachrymas, quas exprimeret pietas. In DEIPARAM Virginem mirificè affectus fuit. Ardebat charitate, cujus impulsu, non semel Indicam ambivit, atque expetijt expeditionem. Paupertatis studium amictu vili & detrito honestavit.

Amorem CRUCIS, & in eâ pendentis Domini, brevi supellectile, libris & CRUCIFIXO definitâ ostendit. Et in fine vitæ, quando post Sacrum viaticum, quod sumpturus, è strato se in solum dedit venerationis ergo, inter pia cum CHRISTO CRUCI AFFIXO colloquia, innocentem animam geminâ, Virginis & Doctoris, aureolâ decoram cælo

F transmisit,

69.

FRANCIS-
CVS DE
MENDOZA
Lusitanus.

transmisit, die III. Junii, Anno salutis
M. DC. XXXVI. vitæ LIV. Religionis
XXXIX.

Litt. Lusit. Elog. Vit. B. S.

X.

AMATOR CRUCIFIXI

*In omni cibatione, panem antequam di-
vidat, ter Cruce signat,*

70.
FRANCIS-
CVS FOLIA-
NVS Rhæ-
tus Griso.

FRANCISCVS FOLIANVS Rhætus, in
Valle - Tellinâ natus per summam
sui obscuritatem, quam semper impensè
sectatus est, ad insignem sanctimoniz
claritatem evasit. CHRISTI Domini
CRUCIATVS, ut suo sentiret in corpore,
quantum mortali fas, afflictationem
supra communem etiam Sanctorum
modum adamavit, & adhibuit. Usur-
pata cilicia, dira, lateque sonantia fla-
gra missa facie, ceu tenue severitatis il-
lius rudimentum. Urticas nudo corpori
admoveere deprehensus est. Omnes pe-
nè obtuderat assidua maceratione: nec
ulla propemodum erat ejus actio vacua
vexationis.

Erat in Cælites omnes, atque impri-
mis in Sanctos Angelos propensissime
pius. Sed Augustissimam TRINITA-
TEM ita coluit, ita veneratus est, ut om-

nem

CYLLINIA
nem vicerit admirabilitatem. Eam in
omni oratione frequentissimè, suavissi-
mèque, sed nunquam nisi aperto, incli-
natoque capite appellabat. Nec verbis
tantum, sed rebus etiam & symbolis ex-
primere gestiebat. Hinc sæpissimè tria
in qualibet re secabatur. In mensâ cul-
trum, fiscinulam & coclear in formam
triquetram disponebat.

Tum, quod hic spectat, panem ter
CRUCE signabat; tria ex CRUCE signato
frustula scindebat: & deinceps terna
prioribus absumptis: nunquam plus,
quàm tribus ferculis vescebatur: cibos,
si tripartiti dabantur, non attingebat:
nec, si terni fructus una lance infere-
bantur: alios tres prius in partes divi-
debat: minutiores fructus, ut amygda-
la, & uvæ ternos simul in os inferebat.
Ter quaque cibatione bibebat. Obam-
bulabat in triangulum. Rosarium habe-
bat tridens, & tricolore licio conser-
tum. A legendo, scribendoque, post ter-
tium folium interquiescebat. Sæpe tri-
angula pingebat æquilatera, eorumque
proprietas Divinis mysteriis accom-
modabat. Solenne illi effatum: Tria
sunt omnia.

Solem fixo sæpe obtutu contempla-
batur, in eoque lucem, splendorem, ca-
lorem, tanquam TRINITATIS vestigia
venerabatur. Ad omnem Sacrosanctæ

TRINITATIS commemorationem profundissime corpus inclinabat : coram eius imagine terram prono vultu contingebat. Denique, morbo correptus, cum tres digitos cordi formam trianguli impositos, velut amoris sui signaculum teneret, sanctissime expiravit, die XXIX. Septemb. Anno M. DC. IX.

Histor. Societ. p. 2. Francisc. Sachini lib. 3. n. 49. litt. Coll. Rom. Elog. Vir. B. S.

DECAS VIII.

I.

AMATOR CRUCIFIXI

Horis singulis peculiariter Dominum Passum laudat.

71.
ARNOLDVS
CATHIVS
Frifo.

ARNOLDVS CATHIVS, gente Friso Harlemii in Hollandia, disciplinis humanioribus, Lugduni Batavorum Medicinae operam dedit. Cui magis excellendae Patavium concessit, ibique lauream ejus facultatis accepit. In Palaestynam, & reliquum Orientem cum meditaretur, in Societatem IESV ascitus, Romae tirocinium posuit, evasitque Cultor CRUCIFIXI praclarus. Ejus amorem in omni sermone sonabat: in eum omnes provocabat: cum in se tractatione

IMITATRIX CRUCIFIXI 125

tionem librorum qui de contemplatione diligentius agunt, & deuotissimâ Officii diuini, & Sacrificii oblatione inflammabat.

Ad horas singulas proposito sibi certo PASSIONIS DOMINICÆ mysterio, conceptis precibus, Dominum CHRISTVM CRUCIFIXVM laudabat. In morbo miram exhibuit tolerando patientiam, multam omnis molli tudinis, & deliciarum auersionem, perennem in Diuina mentis intentionem, rerum temporalium curâ, quamvis Rector, in alios rejectâ, suavissimam cum CHRISTO CRUCIFIXO, & ejus MATRE DOLOROSA per crebra colloquia familiaritatem; sicque ad utriusque consortium est translatus, XIII. Decemb. Anno M. DC. XXX. ætatis LIV. ab initâ vitâ religiosâ XXVIII.

Litt. Flandro-Bell. Coll. Ruramond. Eleg. Vita B. S.

II.

AMATOR CRUCIFIXI

Aspectu Christi Patientis, ubertim lacrymatur: aspectu ejusdem Gloriosi letitiâ inenarrabili perfunditur.

72.
BERNARDINVS
REALINVS
Italus.

BERNARDINVS REALINVS Italus, à prodigiis, à visis cælestibus, à variationibus, & quod magis æstimandum, à sanctitate clarissimus, cum studiis Civilium Legum Bononiæ, Ferrariæque confectis, Doctoralem adeptus Lauream, aliquot etiam Magistratibus ab Catholico Hispaniarum Rege delatis perfunctus, variis à DEO modis ad vitæ perfectæ rationem incitaretur, conspectu Neapoli duorum de Societate per urbem inambulantium modestia, auditaque Joannis Baptistæ Carminatæ, celeberrimi eâ ætate Concionatoris ad populum oratione, inflammatus, DEIPARÆ denique Virginis, ac Filii, ejus monitione compulsus, rebus suis omnibus in egenos distractis in Societatem esse admissus. In quâ per omnes absolutissimæ virtutis tramites ad tantum conscendit sanctimonix fastigium, ut de cælestibus illi decernendis honoribus apud Sedem Apostolicam studiosè acteretur.

AMATRIX CRUCIFIXI. 127

Is biennio prius, quàm fato fungere-
tur, CHRISTI supplicia, mortemque
meditans, illum vidit in Calvariae mon-
tem crudeliter à militibus nudari, cla-
visque configi; Judæis interim convitia
in illum sannasque jactantibus. Quo as-
pectu hausit acerbissimum animo dolo-
rem, totumque se in fletus effudit. Sed
idem paulò post inter Beatas Mentis,
veluti Sol alter comparens ab inferis
redivivus miris Amatorem suum gau-
diis aspersit. Utrumque spectaculum
Bernardinus ipse sic duplici disticho
comprehendit.

*Me miserum, in lacrymas totus convertor a-
maras,*

*Dū video CHRISTI tradita mēbra CRUCI:
Me quoque felicem, CHRISTI dum gaudia
cerno,*

Angelicos inter glorificata choros.

*L. N. Auctor Vita, ex Manuscriptis Italicis,
cap. 37. p. 333*

III.

AMATOR CRUCIFIXI

*Brachia sua in Crucifixi modum variis
occasionibus expandit, indeq; mirè
proficit in spiritu.*

REALINVS, quem proximè lauda-
vi, ita fuit orationi deditus, ut
ipsum vita perpetua videretur precatio.

73.

BERNAR-
DINVS
REALINVS
Italus.

F 4

Situs

Situs verò privatim orantis, expansis in CRUCEM manibus: vel ante pectus decussatis, in cubiculi medio ad sacram Imaginem precatorii cubitalis convertendo se flexis poplitibus niti. Nec rarò etiam infirmus ab ægrotantium curatore sic deprehensus est intempestâ nocte: nempè, mediâ in cellâ, nulloque accubitu de geniculis orans.

LEGUNTUR in adversariis Bernardini, manu ipsius exarata ad hanc rem spectantia, quæ subnecto. Incurrente forrassis interim dum oro cogitatione alienâ, juverit brachia in CRUCEM porrigere, magnoque impetu in rem, quam meditor, animum tendere.

Præcipuè verò, CHRISTVM intueri sub CRUCE, SPINISQUE fatiscentem, coramque projecto humi vultu, ter solum osculo lambere.

Item, proderit, si genua dolebunt, cum Magdalena assidere, measque deflere miseras, cum tantarum CHRISTO PATIENTI pœnarum caussa sim.

Si renes defecerint, surgam, & pedes Domini è CRUCE pendentis, sublatris manibus complectar. Vel, Martyrem quempiam memoriâ repetam, & erubescam miser ad ejus cruciatus, qui extorquere ex me non valeam, ut breve tempus de genibus traducam

Cum Sacramentum Venerabile, vel
ritu,

CVLTRIX CRVCIFIXI. 129
ritu, vel occasione proponeretur po-
pulo adorandum, hærebat Realinus co-
ram per aliquot horas: &, putans ali-
quando locum arbitro vacare, in Aræ
majoris gradibus genua flectebat, ex-
pansisque illic in CRVCBM brachiis ho-
ras penè integras commorabatur.

*L. M. Auctor vita ex MSS. Italicis, cap. 37.
& 38.*

I V.

AMATOR CRVCIFIXI

*Crucis signo impuras cogitationes
abigit.*

REALINVS idem impuris imagini-
bus vexatos docebat hoc remedio
uti: ut decubitori, CRVCIS SIGNO ter
pectus munirent: ter CRVCI precatiun-
culam adderent: per sanctam virginita-
tatem tuam Purissima Virgo MARIA
emunda carnem meam, in nomine Pa-
tris & Filii, & Spiritus sancti, Amen.
Quod amuletum quidam efficacissimū
probarunt. Illo, haud dubiè usus est
quotidie ardens ille CRVCIFIXI Ama-
tor, qui deducta per omnes pietatis ar-
tes ætate, tandem occupatus morbo le-
thali Sacramentis ad agonem procurari
postulavit: iis autem magno cum desi-
derio perceptis, actam sanctissimè per
LXXXVI, annos vitam, & societatis le-
gibus

74.
BERNARDUS
DINVS
REALINVS
Italus.

130 SOCIETAS IESV
gibus totos LII. excultam, placidissimâ
morte conclusit, die II. Julii M.DC.XVI.

*L. M. Auctor vita Realini, cap. 4. ex M. SS.
Ital. p. 19. B. S.*

V.

AMATOR CRUCIFIXI

Non permittit, ne quidem in infirmitate, culcitram sibi substratam ad molitudinem sæpius versari, memor Christi duriora Passi.

75.
AVGVSTINVS DE
QVIROS
Hispanus.

AUGVSTINVS DE QVIROS Hispanus, disciplinis omnibus egregiè instructus, & Divinæ Scripturæ interpres illustris, AMATOR CHRISTI PASSI planè singularis, orationis studium tam sibi habuit familiare, ut præterquam quòd mentem haberet semper in DEO defixam, certum quotidie tempus subduceret curis gravissimis totius Provincia, quam regebat, ut cum illo, CHRISTO què suo familiariùs ageret. In itinere Socios eminus sequebatur, ut posset quieteriùs, diutiùsque meditari. In morbis nullum ab hominum consuetudine solamen expectabat, cum DEO suoque CHRISTO per majus otium tum conversans. Quando ex infirmitate decumberet, nec duas patiebatur culcitrâs sibi substerni, nec unam illam, quâ utebatur

IMITATRIX CRUCIFIXI. 131

tur ad mollitudinem sæpius versari,
CHRISTO, ut agebat, PASSO duriora.

Ubi mortem sibi imminere sensit,
tum verò mentem ille in DEVM inten-
dere vehementius, suspiria gemitusque
ex ardentissimo amoris pœnu ducere, ac
tandem inter illa animam exhalavit,
Mexici die XIII. Decemb. M. DC. XXII.
ætatis LVI. ab ingressu in Societatem
XLI.

Litt. Mexic. Elog. Vit. B.S.

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

*Crucem in conclavi, aulâ, cubiculo,
musæo, hypocausto, bibliothecâ, ad
ad quatuor climata figit, ut
colat.*

CONSALVUS SILVERIA Lusitanus,
Vir fuit ad præclaras res agendas
humanis divinisque, & naturæ præsidis
apprimè instructus nobili genere, filius
Comitis Sorteliæ, viribus firmis, apta
dicendi copia, mirèque prompta, ex-
cellenti doctrina, quam Laurea quoque
Doctoris ornat. Sed multò magis San-
ctis animi abundabat bonis. Acerrimus
erat mundi, sui que met contemptor:
macerando per inedia, verbera, alias-
que asperitates corpori, silentio item at-
que

76.
CONSAL-
VUS SIL-
VERIA
Lusitanus.

que orationi deditus extra potius, quam intra modum. Ut nihil illo in se atterendo implacabilius, ita nihil laboriosius fuit in salutem animarum, nihil à propinquis & humanis necessitudinibus cuiusvis generis alienius. Excelsitas animi, constantia, fortitudo in gloriæ divinae causis, ad CRUCIFIXI honorem propagandum, aggrediendis ac sustinendis, fuit in illo tanta, quanta in nullo propè mortalium audacia. Ferunt visum sublimem è terra dum oraret: quædam vatum more prædixisse, aliaque mira edidisse, quæ huc non faciunt.

Amatoris CRUCIFIXI fuit, novum invenisse artificium, CRUCEM & CRUCIFIXVM in quolibet habitaculo honorandi, ac semper intuendi. Siquidem Silveria, quocumque in cubiculo habitaret, in quattuor parietis partibus CRUCES quattuor, in singulis lateribus singulas affigi curabat, ut quamcumque se in partem volveret, illa sibi imago offerretur intuenti, quæ & dulcissimum IESVM indignissimâ Crucis morte propter homines multatum in memoriam revocaret, & insuper moneret à domando corpore, & comprimendis animi appetitionibus nullo sibi loco, nullo tempore esse cessandum,

*Nicolaus Godinus lib. 3. Vita Silver. cap. 2.
Franciscus Sacchinus Hist. Societ. par. 2. lib. 5.
à num. 289.*

VII.

AMATOR CRUCIFIXI

*Ante Crucifixum optat, & à Deo petit
palmam Martyrij.*

SILVERIA antea laudatus, cum Regē
Manomotapæ cum matre, & trecen-
tis Proceribus baptismo lustrasset; sed
ab eodem deinde Rege, mendaciis
Minguamis Mahometani Antistitis, a-
liorumque trium oneratus, neci addi-
ctus esset; ut mortem sibi imminere,
non dubiis signis animadvertit, summo
ejus subeundæ exarsit desiderio: nec
potuit pro immenso animi ardore loco
uno firmus consistere. Nunc ad **CHRIS-
TI CRUCIFIXI** imaginem accedens fle-
ctebat genua, trahensque ab imo corde
suspiria, **CHRISTVM** pro humano gene-
re crudeliter occisum precabatur omnes
in se Barbarorum iras effundi sineret.
Meminerit, quid sibi sæpius in Lusitania
promiserit? Quid futurum prædixe-
rit: oblatam esse adimplendi promissi,
& liberandæ fidei sibi datæ opportuni-
tatem.

Nunc incredibili quodam animi ar-
dore ab oratione surgens, horæ, quâ
mactandus erat segnitiam, tarditatem-
que incusabat, Nunc iterum redibat ad
preces,

77.

CONSAL-
VVS SILVE-
RIA Lusita-
nus

preces, iterumque ante CHRISTI CRUCIFIXI imaginem genibus nixus CHRISTVM vehementer orabat, ne hostium manus impediatur, quo minus in corpus suum crudelissimè desæviant.

Nicolaus Godinus in Vita Silveria, lib. 2. c. 12.

VIII.

AMATOR CRUCIFIXI

Orat manibus in formam Crucis ad pectus compositis.

E T

Crucifixum cereis accensis, & in medio locatum veneratur ante mortem.

78.
CONSAL-
VVS SILVE-
RIA Lusit-
anus.

VTRUMQUE præstitit nobilissimus Martyr SILVERIA. Siquidem carnicum adventum Spiritu præsentens è diversorio fuit egressus, ut CHRISTI PATIENTIS exemplo venientes exciperet. Tum in area vicina, intentis semper in cælum oculis, manibus modò in altum sublatis, modò in formam CRUCIS ad pectus compositis, huc illuc ætatis passibus ambulabat, interque suspiria & gemitus dulcissima cum DEO serebat colloquia.

Cùm autem ad multam tum noctem ventum esset, necdum tamen hostes comparerent (latebant enim in vicino loco,

CVLTRIX CRVCIFIXI 135

loco, neque deambulantiem aut vigilantiem audebant impetere) fessus ad suum se cubiculum iterum recepit, & in arundineo strato, sive in storia substitit CHRISTI CRVCIFIXI effigiem in medio collocans. Sive, ut Historia Societatis habet:

Cereos duos accendit, & CRVCIS staturam in medio, hinc atque hinc ad latera eos collocavit. Tum flexis rursus genibus eadem, quæ prius precari DEVM cepit: atque inter vota precesque præ lassitudine decubuit, lenique somno correptus fuit. Id verò hostes qui eo interim spacio venerant, suspicati, in DEI servum irruerunt, & crudelissimè oppressum communi luce privarunt. Nam bini brachia, totidem crura arripuerunt, tollentes in altum, duo funem collo implicarunt, quo utrimque à Mocrume barbaro adducente ac contorquente, Beatus DEI Præco Silveriâ, & CRVCIFIXI imitator egregius ingentem ex ore & naribus sanguinis copiam effundens victorem spiritum Conditori suo reddidit.

Nicol. Godinius in vita. Orlandinus & Sacchinus in hist. Societ. Mattheus lib. 16. hist. Ind. & epist. 4. lib. 2. Ribadeneira lib. 2. vita S. Ignat. cap. 9. Aconsta. Comment. de rebus Indic. tit. Inhambanis. Vascooncel. p. 502. & 517. Alanus Copus Dial. 6. c. 42. Surius in Comm. ad Ann. 1540. Jacob Payva Andradius lib. 1. Orthodox. expl. Imago primi seculi Societatis verbo Gonsalvus.

IX.

AMATOR CRUCIFIXI

Cruces laborum, morborumq³, optat & ne ab iis liberetur, Deum rogat.

79.

FRANCIS-
CVS
AGVILLO-
NIVS Bel-
ga.

FRANCISCVS AGVILLONIVS, Belga mira fuit in Religione patientia, & animi magnitudine, ac CHRISTI PATIENTIS imitatione excellens. Is Sociis lue contactis cum praesente periculo aliquando praesto fuit; & catharros atque asthmata jam inde ab adolescentia perpeffus, noluit unquam sibi valetudinem per preces à DEO obtineri, eam Divino nutui permittendam ratus: adeoque saepe supplicabat, ut dolores sibi potius novis doloribus cumularer, quàm vel tantillum de sua in se probando voluntate mutaret.

Ergo, in extremâ vitâ has voces identidem repetebat: Fiat voluntas DEI: in ea conquiesco: ad DEI nutum me penitus fingere volo. Cùm autem acutissimis cruciatibus torqueretur, Habeo, ajebat CRUCES, quas saepe optavi, atque à DEO postulavi. Tandem Sacramentis munitus placidissimè animam exhalavit Antuerpiæ xx. Martii, An-

IMITATRIX CRUCIFIXI. 137

Anno M. DC. XVII. ætatis L. Religionis
XXXI. Opticorum Scriptor doctissimus.

Litt. Fland. Belg. Ant. Elog. Vis. B. S.

X.

AMATOR CRUCIFIXI

Non aliam supellectilem, quàm Crucifixi Imaginem habet.

IOANNES GONDIVS Hispanus, fuit
vitæ, siquis alius, inculpatæ, casti-
gatissimæ conscientiæ, & Religiosi in-
stituti observatione præcipuâ, atque
adè sanctimonix notâ clarissimus.
Quotidianas labeculas quotidianâ con-
fessione tergebat, veritus, ut ajebat, ne
suis malefactis animarum negotium
corrumperet. Quicquid nanciscebatur
otii, id omne in tractatione cum Deo
consumebar.

Quaquâ noctis horâ illum conve-
nisses, coram CRUCIFIXI SERVATORIS
Imagine (quam unicam habebat supel-
lectilem) deprecantem invenisses. Ora-
tioni comes mortificatio ad parem mo-
dum accedebat: quotidiana verberatio,
propè quotidiana setosæ vestis gesta-
tio, somnus exiguus, & in duro strato,
in assere, aut quicquid durum occur-
risset.

Cibus parabilis, & cæteris commu-
nis;

80.

IOANNES
GONDIVS
Hispanus.

nis; sed contractiore mensurâ. Vestitus religiosè pauper. Vix ea, sine quibus agrè vita ducitur, accipiebat, doctior pati penuriam, quàm abundare. Virum hunc non amore magis, quàm imitatione CRUCIFIXI inclytum Mors tandem abstulit. Toleti, die II. Julii, Anno M.DC.XXIX. ætatis LX. ab initâ Societate XLI.

Litt. Hisp. Tolet. Eleg. Vir. B. S.

DECAS IX.

I.

AMATOR CRUCIFIXI

*Cupit vivere & mori inter brachia
Crucifixi sui.*

81.
JVLIVS
FATIVS
Italus.

JULIVS FATIVS Italus, à primâ ætate sæculi vanitate relictâ institutum Societatis amplexus mortificationis religiosæ in se cultor fuit egregius. Admirabili affectu pietatis fuit erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & CHRISTVM CRUCIFIXVM, in cujus Imagine contemplandâ, piisque colloquiis magnâ cum animi sui voluptate ultimum vitæ suæ tempus traduxit, illa, ad extremum usque spiritum verba subinde iterans: inter brachia Domini mei, & vivere volo, & mori cupio.
Nun-

AMATRIX CRUCIFIXI. 139

Numquam dicebat MEI, quin magno illud affectu iteraret sæpius. Ita Nonis Januarii Amator ille CRUCIFIXI magnæ sanctitatis laude conspicuus emigravit è corpore, Anno M. D. XCVI. ætatis LXIII. ab initâ Societate XL.

Litt. Ital. Elog. Vir. B. S.

II.

AMATOR CRUCIFIXI

Christum Crucifixum, si sit Concionator, verbis annunciat, & moribus.

IGNATIVUS MARTINEZ Lusitanus, Româ in patriam rediens, cum Patavii linguam S. Antonii Lusitani ortu, cognomine Patavini venerationis ergo fuisset exosculatus, ita repente mutatus est, ut ejus & spiritum & linguam induisse videretur. Igitur in Lusitaniam reversus, deposito veteri Rhetorum more, cœpit concionari Apostolicè, tanto spiritu & fructu, ut totam Lusitaniam commoverit, totos exinde XVI. annos, pueris, pauperibus, rudibus, servis, militibus Christianâ doctrinâ imbuendis, & ad pietatem formandis, magnâ caritate, magno spiritus fervore consumpsit. Omnibus Dominicis, atque Feriatis diebus semel atque iterum concionabatur ad ple-

82.

IGNATIVUS
MARTI-
NEZ Lusi-
tanus.

plebem, & ad detentos in triremibus, eosque verbis ardentibus ad detestationem peccatorum inflammabat.

Ibat Vir ille, Doctor Theologiae creatus, ibat ab domo Doctor puerorum, cogebat è foro in circulum, in præfidiis, in triremibus multitudinem. Ibi suo scepro, id est, arundine, quam in CRUCEM supernè desuisse, vix ambigo, venerabundus incipiebat maximè canorus docere. Quam ipse arundinem tanquam suæ militiæ signum militare adedò nunquam deposuit, ut intulerit secum in sepulchrum.

Missus est Amator ille CRUCIFIXI seriùs Conimbricam, ut Sociis esset perfecti Oratoris exemplar, qui CHRISTVM verbis annuntiaret & moribus, nec alium, quàm CRUCIFIXVM. Sed multorum gaudium brevi est extinctum. Siquidem primâ Quadragesimæ hebdomadâ in febrim incidit, quam ille confestim agnovit esse lethalem. Eâ æstuans, sed magis amore CRUCIFIXI, tandem inter pia cum CHRISTO, & DEIPARA Virgine colloquia suavissimè expiravit Conimbricæ die XXVIII. Febr. propè Septuagenarius. Anno salutis M. D. XCVII, cum totos L. egisset in Societate IESV.

List. Lañt. Conimbr. Elog. Vit. B. S.

III.

AMATOR CRVCIFIXI

*Annis aliquot meditando & scribendo
de Christo Patiente ad mortem
se comparat.*

CAROLVS SCRIBANIVS Belga, postquam Pontifici Maximo, Cæsari, Regibus, Principibus plurimis, domi, forisq̄ue carus, Hæreticis stylo terribilis, bonis omnibus amabilis, animi magnitudine, constantiâ, iudicio, linguarum peritiâ rerum usu nulli secundus Europam totam famam sui nominis luculenter implest: dissidia nobilium familiarum, mille controversiarum arbiter, privatæ pacis vindex, publicæ studiosus feliciter composuisset: Societatem JESV in Belgio per annos xxviii. quâ Provincialis, quâ Rector mirè promovisset: prudentiâ, morum gravitate, vitæ integritate, religione in DEVM, pietate in patriam conspicuus; ad extremum pertæsus irrequieti strepitu, & morum aulicorum, quia Rector Bruxellæ noctes diesq̄ue obruebatur adventantibus auxilii consiliiq̄ue causâ Principibus viris ac fœminis, honestam, ac piam missionem petiit, atque impetravit.

85.

CAROLVS
SCRIBANIVS
Belga.

Quam-

Quamobrem Antverpnam se confere-
rens, scripsit volumen egregium, cuius
titulus CHRISTVS PATIENS, *piis Exer-*
citationibus illustratus, Urbano VIII. Pon-
tifici Max. dicatum. Ibidem autem per
annos IV. variis, gravibus, & assiduis
morbis oppressus ad bonam & religio-
sam mortem CHRISTVM PATIENTEM
meditans se composuit, & defunctus
est, Anno reparatæ salutis M. DC. XXIX.
Junii die XXIV. cum laudabiliter vixisset
Annos LXIX.

*Elogium & Epitaphium ei positum. Imago primi
Seculi Societatis lib. 6. B. S.*

IV.

AMATOR CRUCIFIXI

*Promovet pietatem populorum erga
Crucifixum signo æris campani;
& excitatis ad ejus recor-
dationem ædiculis.*

84.
GASPAR
PARA-
NYMPHVS
Siculus.

GASPAR PARANYMPHVS Siculus,
non sibi modò, sed toti Siciliæ
profuit frugifera in CRUCIFIXVM pieta-
te. Qui enim de CHRISTI Domini a-
cerbissima Nece promptissimè sine la-
chrymis, aut loqueretur, aut cogitaret
nunquam; quàm minus frequentem,
quàm & gratus in beneficentissimum
Dominum animus, & verò etiam utili-
tas

IMITATRIX CRUCIFIXI. 143

tas postulet, ejus esse recordationem illi doleret, ad eam excitandam suos inter populares, quàm diligentissimè incubuit.

Ejus enim opera factum accepimus, ut sextâ quâque feriâ sub meridiem, pulsato ære campano, ejus horæ cives admoneretur, quâ occidente CHRISTO CRUCIFIXO salus omnibus orta est.

Eodem satagente, passim tota Siciliâ, propè urbes, eidem memoriæ conservandæ causâ, Ædiculæ sunt excitatæ, in quibus, qui animi causâ obambulantes prodeunt cives prompta quædam habeant incitamenta, & si libeat intrare, perfugia pietatis.

Joannes Rhò lib. 3. hist. var. virg. cap. 2.

V.

AMATOR CRUCIFIXI

*Moriturus Christi de Cruce pendentis
sigillum per Vulnera dissuaviatur,
& expirat.*

IACOBVS ALVAREZ DE PAZ Hispanus vir fuit omni virtute ornatissimus. Sensus omnes suos aut odiebat diligentissimè. Victus illi tam tenuis erat, ut meritò dixisses, eum quotidie jejunare. Flagra & cilicia, vel jam affectâ ætate atque valetudine frequens usurpabat.

Virgi-

85.
JACOBVS
ALVAREZ
DE PAZ Hi-
spanus.

Virginitatem ab omni vel minus cautæ cogitationis nævo servavit indemnem. Quotidie sese ante sacrificandum per exhomologesim expiabat. Vorum à plurimis annis conceperat, nullum se de industria peccatum veniale admissurum.

Divinarum rerum contemplationi mirificè fuit deditus. Viginti quinque & eò amplius annis, tam arcta cum Deo mentis conjunctione devinctus egit, ut nullis unquam negotiis cum gubernatione conjunctis contigerit, eam vel minimum intercipi. Hinc rebus omnibus promptus interesse, libros de profundissimis mysteriis summa facilitate dictare, suavissimis semper affectibus abundare, excellentissimos formare conceptus de Divinis rebus. In summâ, Deo semper præsentè fruebatur.

Ita comparatum morbus lethalis invaluit. Quare mox totius vitæ confessionem instituit, & reliquis cupivit instrui Sacramentis, quamvis dehortantibus Medicis: denique Ecclesiæ precibus agoni accommodatis voluit adjuvari. Ubi ad solenne carmen: *Proficiscere Anima*, deventum est, negavit, horam esse proficiscendi; verùm se tempori admoniturum. Interim lubere cum Deo tantisper secretò agere, cujus præsentissimam tunc opem sentiret, & quicum suas delicias tunc haberet.

Nec

AMATRIX CRUCIFIXI. 145

Nec multò post accenso cereo, CHRIS-
TI de CRUCE pendentis sigillum te-
nerrimè per VULNERA dissuaviatus pla-
cidissimè expiravit, die XVII. Januar.
Anno salutis M. DC. XX. ætatis LX.

Litt. Peru. Coll. Potosi. Elog. Vit. B. S.

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

*Provocat & impetrat extremâ suavia-
tione sua complexum Crucifixi.*

IOANNES CARDIM, Lusitanus, post-
quam spretis luculentarum heredita-
tū ad quas ultrò accersebatur, tabulis,
repudiatis lautè dotatis connubiis, spem
Regiæ beneficentiæ majorum suorum
nixam obsequiis, & Regis pollicitatio-
ne aspernatus, Societatem JESV est in-
gressus, omni virtutum religiosarum
genere excelluit; sed non diu vitam
produxit, quam egregius CRUCIFIXI
Amator illustri documento amoris reci-
proci conclusit. Res ita narratur in vita.

86.
JOANNES
CARDIM
Lusitanus.

Auspicatus erat optimus Religiosus
rerum corporatarum contemplationem,
cum nescio, quâ præter solitum dulce-
dine perfusus, excitari se profunda re-
rum cælestium, ac DEI coram intuen-
di cupiditate persensit, & indies ea de-

G

sideria

fideria convalescere magis magisque. Post paulò, cum se pridie prolixâ atque inhumana diverberatione, quæ postrema fuit immaniter concidisset, & mane sacram Hostiam solito maturius obtulisset, tentari cœpit languore, neutiquam, ut præ se ferebat, difficili, quem adeò Medici quoque ipsi periculo vacuum credidère.

Paucis pòst diebus maligna se febris ostendit, tanta in medicinam contumacia, ut temperari nulla ratione, nedum vinci potuerit. Sic ventum ad extrema. Indicat Medicus, propediem moriendum : &, sciscitanti numquid ipsum anxie aut ægrè haberet, conversis ad cælum oculis : Hoc tantummodò, ait, quia incolatus meus prolongatus est. Verùm jam funes tandem mihi ceciderunt in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Dicenti cuiquam, faciles ei fore cum DEO rationes, respondit, Ah! duram sententiam : Reddere DEO rationem, Verumtamen misericors est, & CRYCIATVVM meâ causâ susceptorum recordabitur. Subinde postularis susceptisque insigni pietate Sacramentis, lachrymantibus, qui aderant, Sociis, Rectorem obsecravit obtestatusque est suum, ut cadaver à morte vellet, ac iuberet in fimetum abjici. Et cum ex nutu

Rectoris,

CVLTRIX CRVCIFIXI. 147

Reſtoris, ejus ſe poſtulationis compo-
tem fore credidiſſet, porrò petiit, ut ſi-
bi nudo liceret atque humi DOMINI
ſui in CRUCE NVDI exemplo mori.

Demum inſtitutis, dum ſuperfuit
cum DEO, DEIPARA, COELITIBVS te-
nerrimis colloquiis, uſurpatisq̃ue è Scri-
ptura Divina compluribus ad acuen-
dam æternitatis in ſe cupiditatem ſen-
tentiis; admoto ſibi ad oſculum CHRIS-
TI SERVATORIS CRVCI AFFIXI ſigno
ſuaviter expiravit, Bracharæ XII. Fe-
bruarii die, Anno M. DC. XV. vitæ XXX.
ab inittä Societate ſupra tertium menſe
oſtavo.

Mirum autem & prodigio par præ-
ſentibus viſum eſt, quod ſupremum
DIVINA VVLNERA ſuavianti, ipſum
CRVCIFIXI ſignum reſixis manibus ac
pedibus, ita ſe illi ultrò injecit, ut fa-
mulum Amatoresq̃ue amplecti ſuum,
atque ejus colligere velle inter poſtre-
mos anhelitus, animam videretur. Ad-
mirabilitatem intendit, quod immotis
in ipſa CRUCE claviculis vix ægrè qui-
verit iis ruruſum inſeri ſacrum Simula-
crum.

De ejuſdem amoris erga Amatores
ſuum ſignificatione à CRVCIFIXO Do-
mino exhibita, ita teſtatus eſt ſuo chi-
rographo Sebastianus de Matos de Ne-
ronha Archiepiſcopus & Dominus Bra-
charæ,
G 2

„charæ. Palam ferebatur, quod in ho-
 „ra mortis peculiaribus è cælo favo-
 „ribus fuerit cum dignatus Salva-
 „tor. Et quod miraculo se refixerit à
 „CRUCE, in quâ pendeat Imago
 „CHRISTI Domini nostri, & super il-
 „lum, ipso exhalandi spiritus articulo,
 „ceciderit. Quamobrem ii, qui ade-
 „rant gloriam ejusdem Domini cele-
 „braverunt, cui famulos suos ad eò ho-
 „nestare complacitum est.

Philippus Alegambe in Vita Ioan. Cardin.

VII.

AMATOR CRUCIFIXI.

*Si Crucem sibi familiarem de collo pen-
 dere solitam, ob causam aliquam ve-
 nerari non potest ante pectus, non
 cessat tamen coram se positam
 aspicere piis oculis &
 colere.*

87.
 JOANNES
 BAPTISTA
 VITELLIUS
 Italus.

IOANNES BAPTISTA VITELLIUS Ita-
 lus, Fulginas, cautissimæ pudicitie
 senex, cum ab eo pusillam ex argento
 CRUCEM Sanctorum Cinerum pigno-
 ribus pretiosam fœmina pietatis eximia
 impetrasset, ac reddidisset, quamvis
 eam de collo gerere consuevisset Joan-
 nes

IMITATRIX CRUCIFIXI. 149

nes Baptista; ab illa tamen die de cubi-
culi pariete suspensam sat habuit pro-
cul venerari, quòd fœminæ utcumque
probatissimæ aliquando fuisset in sinu.
Nimia hæc si cui videatur religio, is
meminerit, Vitellium virginem obiis-
se.

Joannes Rhò lib. 7. hist. var. virt. cap. 3.

VIII.

AMATOR CRUCIFIXI

*Ultimam vitæ noctem colloquiis
de Christi cruciatibus
transigit.*

IOANNES FERNANDEZ, Hispanus
Cordubensis Sancti Xaverii in Japonia
Socius, Vir fuit Apostolicus, orationi
apprimè addictus, quam bis minimum
quotidiè longam usurpabat, ceterisque
à præscripto legum nostrarum pietatis
exercitamentis accuratè satisfaciebat:
reliquum, quod erat temporis, mini-
sterio nosocomii, catechesi puerorum
& rudium instructioni Gentilium, re-
sponsioni ad quæstiones dubias confu-
tationi Bonziorum impendebat.

His fractus laboribus, macie exhau-
stus, tussi, & pectoris dolore concussus,
Firandi febriculam sensit, quam sibi

mortiferam fore augurabatur. Igitur se viatico præmunivit: postridiè sub noctem, quam sibi fore postremam asserbat, concessit ad lectum, & eâ in colloquiis, de CHRISTI CRUCIATIBVS transactâ, mane diei XXVI. Junij, Anno salutis M. D. LXVII. inter repetita MARIA ac IESV dulcissima nomina sanctam animam exhalavit.

Epist. Japon. Elog. Vit. B. S.

IX.

AMATOR CRUCIFIXI

Per mensem Martium, quo Christus est Crucifixus, qualibet sextâ feriâ flagellatione carnem suam affligit.

89.
OCTAVIUS
CAIETA-
NVS SICH-
lus.

OCTAVIUS CAIETANVS, Sículus, cum juvenis oraret aliquando Syracusis in templo Societatis, CHRISTVM Dominum CRUCIFIXVM in altari conspexit, qui, quò propius accedebat, eò grandior fieri videbatur. Eo viso commotus, Societatem IESV expetiit. Ad quod CRUCIFIXVM capite annuisse non-nemo scribit: aut visum annuere. Ut autem grati animi signum aliquod erga CRUCIFIXVM exhiberet, Octavius, sextâ quâque feriâ per Martium mensem, nec non omnibus BB. Virginis per vigiliis,

AMATRIX CRUCIFIXI. 151

vigiliis, Nascentis quoq; & Circumcisi Domini, Principum Apostolorum Petri & Pauli, aliorumque suorum Tutelarium longâ se flagellatione cruētabat.

Vita in Religione laudabiliter, & cum sanctitatis opinione peractâ multis annis, in morbum incidit, quo tandem ad extrema perductus, inter pia colloquia, Sacramentis jam instructus, magnis in BB. Virginem MARIAM, & in CHRISTI D. PASSIONEM exhibitis pietatis indicis suavissimè obdormivit, Panormi die VII. Martij, Anno salutis M. DC. XX. ætatis LIV. Religionis XXXVIII.

Litt. Sicula, Coll. Panor. Elog. Vit. B.S. Ioannes Rhò Opusculo de ineptiis libell. Pseudo-Constantiniani p. 205, ubi plura de Octavio.

X.

AMATOR CRUCIFIXI

Nocte caput suum cilicio obvolvit, spineam Crucifixi Coronam memoriâ recolens.

DIDACVS MARTINIVS, Hispanus, ne Caput, in quo, quasi in quadam totius corporis arce mens habitat, per somni occasionem, eadem sopita, sine aliqua pietatis erga CRUCIFIXVM memoriâ noctu remaneret, diligentissimè cavet. Qui enim ab eâ saluberrimâ cogitatione dies totos non discederet,

90.
DIDACVS
MARTI-
NIVS Hi-
spanus.

ipsum caput nocte horrido, asperrimo-
que cilicio obvolvebat, ut sic vel dor-
miens quantulamcumque SPINÆ CO-
RONÆ CRVCIFIXI sui imitationem re-
tineret.

Verebatur, opinor, ne somnus eas
deleteret imagines, quibus ipse vigilans
mirificè recreabatur. Et verò, si somniis
ex qualitate cubilis legem se posse dare
confidunt, qui reconditæ Philosophiæ
arcana se tenere glorianur, quid aliud,
quàm SPINAS somniaret caput, quod
in cilicio dormiebat.

Joannes Rhò lib. 3. hist. virt. cap. 2.

DECAS X.

I.

AMATOR CRVCIFIXI

*Circa mortem perfectiones suas Passioni
Dominica consociare studet.*

91.
THOMAS
HOLLAN-
DVS. An-
glus.

ANNO CHRISTI millesimo sexcen-
tesimo quadragesimo jam pene ex-
acto, haberi in Anglia cæpta sunt publi-
ca Regni Comitia, quod Parlamentum
vocant, à quo Parlamentarii Regiæ do-
minationis hostes. Quo ex tēpore mul-
tiplicia illic, & illustria extiterunt, ho-
dieque extant hominum Catholicorum,
& Religiosorum præsertim pro Apo-
sto'ica Romanaque fide certamina.

Inter

CVLTRIX CRVCIFIXI. 153

Inter quæ nobile imprimis fuit THOMÆ HOLLANDI, Sacerdotis Societatis JESV Angli, qui propè patibulum, quod hoc tempore est in Britannia CRUX MARTYRVVM, super trakam in pedes sese erigens, ad populum loqui cæpit; sed vix proæmio absoluto, *quid ago?* dicebat, *ab eo signo sermonem auspiciari oportuerat, cujus virtute vincendus est Christianis infernus hostis.* Tum signo CRVCIS muniens sese, cum formulâ verborum vsitatâ: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* addebat: *Spero neminem hoc culpaturum, quia Christiani hominis SIGNVM est.*

Deinde, alloquutione ad populum finitâ, genibus summâ cum reverentiâ nixus, postquam se rursus Latinâ verborum formulâ, adhibitâ CRUCE, signasset, precari Anglicè sic cæpit; ut primò, ardentissimos fidei, spei, & charitatis affectus expromeret, tum suppliciter à DEO veniam delictorum non sine tenerissimo, intimoque sensu exposceret; denique, vitam illi suam, seque totum illi devoveret.

„ Suscipe, inquit, ô Pater misericordiarum, qualemcumque me vides.
„ Suscipe has indignas perpeffiones meas, quas Sanctissimæ Unigeniti tui
„ CONSOCIATAS PASSIONI propensissimâ tibi voluntate offero; eorū virtute &

„conjunctione, quæ Passus est dulcissimus Redemptor meus IESVS, unâ cum meritis omnium, qui in lege naturæ, & in lege Moyſis, & in lege Gratiæ divinæ Majestati tuæ accepti fuerunt, sunt, vel erunt, gratiores, ut spero, futuras.

Post hæc veniam impertit adversariis. Mox carro subducto, in quo pro more consistebat, laqueo fauces comprimente, spiritum in terra desinit ducere, quem ipsi in cælos, ut fas est credere, deducere certabant Angeli. Passus est Londini Anno salutis M. DC. XLII. Decemb. XXII. ætatis suæ anno XLII, postquam annos duodeviginti, septemque menses in Societate IESV sanctè vixisset.

Libellus continens certamentum triplex trium Sacerdotum Ang'orum è Societate IESV, impressus Antverpiæ Anno 1645.

II.

AMATOR CRUCIFIXI

Plantat apud infideles Crucem tanquam lignum vitæ incorruptibile, semper viride, vegetum, germinans.

92.
COSMVS
TVRRIANVS
Castellanus.

COSMVS TVRRIANVS Hispanus, dum per Oceani blanda discrimina sequeretur multo inferiora tor ærumnis & mortibus præmia, optimæ suæ sortis ignarus ad Apostolici gradus excelſitatem ductus fuit à DEO, aspectu

IMITATRIX CRUCIFIXI. 155

aspectu primum, tum colloquio, & conversatione domestica cum Francisco Xaverio Japoniæ Apostolo, à quo instructus Cosmus, eam pectore concepit flammam, ut animo sese totum ad mansura, æternaque animarum lucra transtulerit. Is deinde multa hominum millia, ac, inter eos Bonzios non paucos, aliosque nobiles errorem Gentilium dedoctos in CHRISTI ovile coëgit.

At, ut non esset sine imitatione CRUCIFIXI, cujus erat Amator insignis, multa, graviaque perpeffus est, à Bonziis potissimum excitatâ tempestate: ab iratâ plebe probris & contumeliis affectus, & ad cædem quæsitus, quam non evitasset, nisi DEVS mirabiliter illum eripuisset.

Melchior Nunnius Indiæ Provincia-
lis, cum in Japoniam appulsus, Cosmum convenisset, ajebat, videri sibi ex antiquis illis Ægypti Patribus unum, nisi quod non contemplatione Divinarum duntaxat rerum, sed etiam subeundis, proximorum causâ, negotiis occuparetur.

Observatum autem est, atque in prodigiis numeratum, ab hoc CRUCIFIXI AMATORE CRUCEM ligneam in Omuræ finibus, sub Annum Domini M. D. LXXI. collocatam, cæteris, quæ hujus

imitatione, ab aliis excitatæ sunt plurimæ, injuriis temporum putrefactis, nihil vitii, aut labis accepisse, & complures Annos integram ad venerationem publicè sterisse, & præsentem adorantibus opem non uno in morbo, tanquam LIGNVM plantatum, secus decursum aquæ viventis, & salutaris perstitisse.

HOC LIGNO ejusque fructus, haud dubiè reficiebatur, cum totis sex annis, quibus Amanguccii fuit nec carnes gustaret, nec panem, nec vinum, nec oleum, nec lac, aut quicquam lacte confectum, nec recentem piscem ullum; sed orizam tostam, pisces salios, & herbas, idque inter incredibiles ærumnas, & persecutiones, CRUCIFIXI causâ toleratas, ad quem tandem lætus evolavit. v. Nonas Octob. Anno M. D. LXX. ætatis circiter LX. à Societatis ingressu XXII.

Nicolaus Orlandinus Histor. Societ. p. 1. lib. 6. num. 204. lib. 9. 11. 12. 15. Franciscus Sacchinus Hist. Societ. p. 2. lib. 1. 5. 6. 7. Epist. 10. pen. B. S.

III.

AMATOR CRUCIFIXI

In vita extremo colloquium cum Crucifixo, viatici Eucharistici loco, substituit.

ANTONIUS ALMEIDA Lusitanus, qui multis annis in Missione Sinensi fructuosissimè laboravit, antequam Sacris initiaretur, quoties à Moderatoribus permittebatur, Divino Eucharistiæ Pane se reficiebat. In Collegiis ægrè avelli poterat ab arâ, in quâ Sacrum illud ferculum asservabatur. Pro delitiis illi erat ministrare Sacrificanti, & Sacrificio divino, quàm creberrimè interesse. Quoties præter ordinem gravius corpusculo afficiebatur, sub ipsâ Missæ Sacra, Domino suo tenerrimè valedicebat, ac si non esset iterum sacrificaturus. In infirmitate postremâ non potuit idem præstare, malo nimis repente occupatus.

Solicitus igitur de itineris tanti Viatico, id eâ nocte, quâ extinctus est ardentissimè desideravit: Deo tamen visum est hoc eum solatio destituere. Cùm enim in regno Sinensi nondum in Societatis habitaculo Sacrum Pignus adservaretur, nec posset ante matutinas horas ab nostro Sacerdote celebrari,

prius

93.

ANTONIUS
ALMEIDA
Lusitanus.

prius morbo confectus est, quam refici
posset Sacramento. Quid ergò com-
mentus est verus CRVCIFIXI Amator?
Cum id probè adverteret eventurum,
omninò voluit humi collocari, ubi sua-
vissimè cum IESV CRVCIFIXO collo-
quens è vitâ excessit; colloquio eo cum
Dilecto suo, Viatici vice usus.

*Annua litt. è Sinis M. D. LXXXVI. Et è Ia-
poniâ e, usdem anni B. S.*

I V.

AMATOR CRVCIFIXI

*Cruci ferrea insidens dira ob Crucifixi
amorem patitur, tanquam
criminis reus.*

94.
SOCII
TRES BEL-
GAE.

ANNO M. DC. XXXVIII. Tres de
Societate IESV, Trajecti ad Mo-
sam à Religionis Catholicæ adversariis
per summam injuriam capite plexi sunt,
post toleratos immanes cruciatus, ob-
tentu quidem prodicionis intentatæ,
aut minimum cogitatæ; re tamen ipsâ,
ut passim constitit, in odium fidei Apo-
stolicæ, Romanæ, Orthodoxæ. Quam-
obrem pro veris CHRISTI, per summum
scelus CRVCIFIXI, Martyribus eos coli
accepimus. Torturæ genus fuit insolens
per CRUCEM, non ad suspendendum, sed
ad sedendum, in hanc ferè formam.
CRUX erat ferrea decussata, humilis
sca-

scabelli in modum, non omninò acuta, nec adeò obtusa, quin reus nudus insidens, altè eam, mole corporis gravante admitteret: vocetur imposterum CRVX TRAIECTENSIS. Manus pedesque reuinctus, per extremos digitos ad tergum, manicis & compedibus aculeatis onustus sedebat: collo injectum collare ferreum triplici aculeorum ordine, sursum, deorsum, & directè obuersorum, ne quò se miser sine dira dilaniatione posset convertere; nam collare pendebat à quatuor ergastulis illigatum.

Tum verò ignis struebatur luculentus, quo homo immotus torreretur. Pellis flammaram vi diuisa, ubi in postulas euaserat, ferro secabatur, & acetum sale & pulvere pyrio mistum infundebatur. In hac CRVCE sunt tres Socii ustulati scèdissimè: collum illis laceratum, pudenda semi ambusta, vulnera, quæ hiantia deinde manserunt, inflicta. Tandem verò extremo supplicio, cum innocentiam suam publicè testati essent, fuerunt affecti. Nomina sunt:

JOANNES BAPTISTA BODDENS,
Rector Collegii.

GERARDVS PAESMAN, Sacerdos.

PHILIPPVS NOTTIN, Adjutor temporalis.

Relatio de hac re typis vulgata. Index Martyrum Societatis à numero 262.

V.

AMATOR CRUCIFIXI

*Dominum suum Crucifixum frequenter
tenerrimis affectibus prosequitur.*

95.
FRANCIS-
CVS DE
ENZINAS
Hispanus.

FRANCISEVS DE ENZINAS Hispanus, ab incunabulis sanctitatem visus est cum lacte suxisse, quàm tenero in CRUCIFIXVM, ac Eucharistiam, nec non in DEIPARAM amore sancivit, probavit-que. Cum divinâ Matre, DEVM Filium suavissimè diligebat, nunc Infantem qui cum CRVCVLA pingi solet, nunc VIRVM CRUCIFIXVM variis, sed tenerrimis affectibus prosequatur. Verùm in Eucharistiâ, ubi, quam alibi præsentio-rem agnoscebat, diutiùs, impensiusque venerabatur. In Sacrificio Missæ longas, & quando erat sine arbitris, horarias trahebat moras, & ante meridiem temporis reliquum eâdem pietate ducebat.

In corporis sui divexatione quantus esset CHRISTI PASSI imitator demonstrabat. Sanè erat inclemens sui vexator: ferreis, setosisque ciliciis, & cruentis flagellationibus desæviebat in corpus. Jussis à Medicis uti balneo, ita jussit ipse aquam fenestri, ut eâ perfusus dirissimè cruciaretur. Totos xxx. annos apud Indos Basayarum Gentem,
summis

IMITATRIX CRUCIFIXI. 161

summis laboribus Apostolicâ charitate ad humanitatem & CHRISTI fidem informavit, omnes ad CRUCIFIXI religionem amoremque perducere satagens. Denique Manilæ morbo correptus, atque oppressus, paucis diebus, post sancta libata mysteria inter pia colloquia sanctissimè mortuus est, die II. Januar. Anno M. DC. XXXII. ætatis LVIII. Societatis initæ LV. Philippinicæ expeditionis XXXVI.

Epist. Ind. Occ. Philipp. Elog. Vit. B. S.

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

*Quamvis crudeli pro nomine Christi
sufficiatur supplicio, tamen dolet,
quòd non agatur in Crucem.*

AMBROSIVS FERNANDEZ Lusitanus, 99.
in Japoniâ cum Carolo Spinula AMBRO-
Omuræ conjectus, ob Christianæ fidei SIVS FER-
præconium in vincula, loci frigoribus, NANDEZ
aliisque ærumnis confectus interiit, hoc Lusitanus.
uno subtristis, quòd non posset in flam-
mis vel CRUCE CHRISTI fidem affere-
re. DEO spiritum reddidit Anno M. DC.
XX. Januarii VII.

*Annua Japonica. Mathæus Raderus in Austra-
rio ad Trigantium, Fab. Ambr. Spinula cap. 14.
& 17. Vita Caroli Spinula.*

VII.

VII.

AMATOR CRUCIFIXI

Dum recolit Cruciatu Christi Passi, se ad locū, ubi moratur, lacrymis perfundit.

97.
GASPAR
LOARTES
Hispanus.

GASPAR LOARTES Hispanus, Vir pius juxta ac doctus, grandis jam natu, & Doctor Theologus, & in pietatis officiis benè versatus, auctore Joanne Avilâ, viro Apostolico, cujus discipulus fuerat, Societatem ingressus est; in quâ multos ad peculiarem erga CHRISTVM PASSVM devotionem excitavit. Certè, ipse jam tum, cum Avilâ Magistro uteretur, quaternas quotidie horas meditationi de Divinis rebus tribuebat.

Tam autem tenero sensu CHRISTI Salvatoris CRUCIATUS relegebat, ut lacrymis seque ac locum, in quo constiterat, perfunderet. Scripsit pro Amatoribus CRUCIFIXI, vel, ut multos sui similes faceret: *De Continua PASSIONIS CHRISTI memoriâ*. Item Meditationes de PASSIONE DOMINI. In quibus dum se exerceret quotidie, annis gravis, & bonis operibus plenus mortuus est, Valentia, Anno salutis M. D. LXXVIII.

*Nicol. Orland. Hist. Societ. 1. p. l. 12. num. 47.
Lit. Hisp. Elog. Vit. B. S.*

AMATOR CRUCIFIXI.

In itinere, scipione Viatorio Cruce superne munito utitur.

HOC fuisse gestamen Apostolorum, ut fuit primorum Societatis JESU Patrum ad Indos se conferentium hinc collige. In vastissimis Paraquariæ Provinciis, quæ sunt in Indiâ Occidentali tantam ubique inter Barbaros memoriam vestigiaque S. Thomæ Apostoli, invenere Patres Societatis JESU, ut dubitari non possit, Apostolum istic olim fuisse. Sed nihil Christianæ religionis illic duraverat, præter famam, Apostolicæ & vaticinationis ab illo prolatae memoriam.

Prædixerat jam tum, post multa sæcula, Sacerdotes sibi in Apostolico munere aliquando successuros, qui eadem, quæ tunc ipse posteros docerent; quique, ut ipse, CRUCES manu gestarent. Visa in manibus Patrum CRUX, quam horum ignari, pro scipione gestabant, & subsequuta Evangelii explicatio, Barbaris fidem fecit, Patres Societatis esse eos, quos Apostolus olim venturos promiserat. Oraculum ipsi à majoribus longâ serie acceperant. Nec vanum commentum esse creditum fuit, cum

per

98.
SOCII A-
POSTOLI
INDORVM.

per disjunctissimas nationes, quas inter nec est, nec esse potuit commercium ab omnibus idem prorsus vaticinium celebraretur.

Annua Paraquaria 1626. 1627. fol. 109. Imago primi Seculi Societatis, lib. 1. cap. 2. p. 63.

IX.

AMATOR CRUCIFIXI

*Amator Crucifixi effigiem secum portat,
& vesperi in diversorio ante illam
procumbens humi orat, gratias
agit, meditatur.*

99.
ALOYSIVS
GONZAGA
Italus.

VT in omni parte vitæ expressit
eximium, **CRUCIFIXI** Amatorem
ALOYSIVS GONZAGA, ita eundem om-
nibus absolutissimum numeris exhibuit
in itinere Romam versus, cum Mar-
chionis titulo, fortunisque abdicatis,
Societati **JESV** adjungere se cogitaret.
Multa in hanc rem habet Vitæ Scriptor,
istud huic loco est proprium.

Vesperi in diversorio, quamvis, quod
asperrima hiems esset, frigore rigeret,
numquam tamen se calefaciebat. Sed
confestim in cubiculum solum se abde-
bat; atque ibi depromptâ, & ob oculos
posita **CHRISTI CRUCIFIXI** imagine,
quam secum deferebat, ad ejus pedes
jacens duas horas continuò cum **DEO**
agebat,

agebat, tot intermistis lacrymis, singul-
tibus, gemitibus, tantoque animi ardo-
re, ut ejus, homines, qui foris audie-
bant voces perculsi stupore, sui que pœ-
nitentia inter se aspicerent.

Secundùm hanc orationem diu se
quotidie verberibus castigabat. Tum
verò, vocato in cubiculum Sacerdote,
Matutinas preces & laudes legebat. In-
de accumbebat ad mensam, & valentio-
ris materiæ cibus semper abstinens, per-
quam sobriè & frugaliter cœnitabat. In-
stituerat quartâ, sextâque feriâ, & sab-
bato jejunia, quibus assueverat. Sed Sa-
cerdos, cùm frangi eum vexari que iti-
neris laboribus videret, iis temperare
jussit. Sibi dormitum concessuro, neque
lectum calefieri, neque vestes detrahi
sustinebat.

Ita CRVCIFIXI Amator diem quemli-
bet claudebat: an non par est credere,
illum in lecto, velut in CRVCE, post
suavissima cum CRVCIFIXO colloquia,
brevissimè quievissè, ut quàm primum
ad familiares cum CRVCIFIXO congres-
siones rediret?

Virgilius Ceparius in vitâ lib. 1. cap. 12.

AMATOR CRUCIFIXI

Quò doloribus torquetur graviùs, eò prolixius Crucifixum intuens, DEO gratias agit.

100.
DIDACVS
RVIZ DE
MONTOKA
Hispanus.

DIDACVS RVIZ DE MONTOKA Hispanus, summus Theologus, tam fuit à primâ ætate compositis ad omnem virtutem moribus, ut diceretur, non videri in Adamo peccasse. Ingressus Societatem omnis religiosæ virtutis fuit exemplar, orationi multum deditus; adeò, ut consueto relaxationis die prorogaret spatium orationis. Quot mensibus diem solidum sui ipsius inspectioni tribuebat. Studebat ferè de genibus, tanquam qui internum Magistrum DEVM auscultaret.

Nemo eum extra cubiculum, nisi ad res necessarias prodeuntem vidit: nemo legem silentii violantem in omni vitâ: nemo vel momentaneam temporis jacturam facientem: nemo vel latum pilum ab iis officiis declinantem, quæ virum virtutibus solidis præditum, & numeris omnibus perfectum decent.

Quantus esset CRUCIFIXI Amator ostendit circa vitæ finem potissimum. Cùm enim acutissimis calculi cruciatus, quos integro quarriduo sustinuit, torque-

IMITATRIX CRUCIFIXI. 167

torqueretur gravissimè , eos ipse tam cōstanti vultu tolerabat, ut medicos admiratione defigeret, quî posset non aliquam tam immanium dolorum significationem exprimere. Ipse autem quò urgebatur gravius, eò ingratiarum actionem excurrebat prolixius, & oculis in CHRISTVM CRUCIFIXVM conversus, suavissima cum eo colloquia instituebat.

Mortem non minùs avidè , quàm vitam plerique, exoptabat , hoc uno lætus nuncio, si pulsus arteriæ deficeret : tunc enim verò exclamabat : O Æternitatis dies ecquando te conspicabor ! Sicque Sacramentis ad Æternitatis iter instructus expiravit, xv. martii, Anno M. DC. XXXII, ætatis LXX. Societatis initæ LVI.

Litt. Hispal. Eleg. Vit. Epitaph. B. S.

DECAS XI.

I.

AMATOR CRUCIFIXI

*Publicè in theatro supplicii aut carcere
profitetur in solius Christi Passione
tantum esse virium, ut fidelis per
eam salutem eternam conse-
qui possit.*

IOI.
HENRICVS
MORSÆVS
Anglus.

ANNO M. DC. XLV. I. die Fe-
bruarii Londini in Angliâ glo-
riosam mortem pro Religione
Catholicâ fortiter oppetiit HENRICVS
MORSÆVS Anglus, è Societate IESV Sa-
cerdos, amans CRUCIS, ac laborum re-
ctæ semper ac sinceræ mentis tenax,
plenus zelo, plenus charitate. Hic,
cùm amplius sesquianno magno animi
sui gaudio ter in Angliam missus stre-
nuè ibidem ac laudabiliter in vineâ Do-
mini laboraret, captus denique est, &
post multarum hebdomadarum gra-
vem, fœdumque carcerem, navi inde
Londinum avectus, ibi carceri iterum
fuit traditus.

Hinc evocatus ad tribunal, recitatâ
accusationis schedulâ in hanc formam:
*Quod ante annos aliquot Sacerdotij convi-
ctus, Regnoque egressus revertisset, damna-
tus*

AMATRIX CRUCIFIXI. 169

rus fuit solemnī formula de Sacerdotio.

Quod apud illos videlicet, perduellionis est crimen, adeoque perduellium supplicio perendie necandus pronunciatur. Tunc ad carcerem, unde venerat, fuit relegatus.

Pridie autem quàm pateretur, à prima diei hora ad extremam usque centeni & centeni ex Catholicis accurrerunt, contempto fortiter discrimine, tum ut CHRISTI Athletæ gratularentur felicitatem propinquam, tum ut aspectu fortissimi pugilis fruerentur, & vel vocem aliquam consolatoriam, vel reculam ab eo quantumvis exiguam ad memoriam illius auferrent, vel sibi afflictisque rebus suis opem ab eo, cum ad cælos migrasset, postularent.

Accessere etiam ex hæreticis nonnulli, qui satisfieri sibi petebant à Patre de duobus. *Primo*. An posset quis per CHRISTI Salvatoris pro genere humano PASSI & CRUCIFIXI merita salutem consequi, sine invocatione sanctorum? *Secundo*. An is jam moriturus esset, pro Religione suâ, crederetque se ad inferos damnandum, si extra Ecclesiam Catholicam Romanam obiret?

Dici enim vix potest, duæ istæ calumniæ, quas Catholicis imponunt, quàm altè hodie in multorum Protestantium animis defixæ hæreant. Vide-

H

licet,

licet, quod secundum doctrinam Papi-
starum, ut loquuntur, nec satis virium
fit in SOLIVS CHRISTI PASSIONE, sine
ope Sanctorum; nec quisquam è nobis
reperiatur, qui pro Religione sic vitam
sponte det, quasi ea religio ad salutem
necessaria existat.

RESPONDIT igitur Pater ad utrum-
que Quæsitum separarim. Et, ad *Primum*
quidem: præcisè loquendo, posse ho-
minem cælo potiri CHRISTI pro ho-
minibus PASSI & CRUCIFIXI meritis
nixum (quippe, quæ per sese sunt abun-
dantissima, ac planè infinita) etiamsi re-
ipsa contingat, ut sanctos fortè non in-
vocet: modò tamen credat, quod cre-
dendum est, quodque præcipit Ecclesia,
licere Sanctos invocare, eamque con-
suetudinem piam esse, ac laudabilem,
& cum fructu usurpari.

Quod ad *Alterum* attineret, mortem
se omninò oppetere ob causam dum-
taxat Religionis Catholicæ, extra quam
certus esset & securus servari posse ne-
minem. Veritatem porrò Ecclesiæ Ro-
manæ, præter cetera, testari ipsa quoti-
diana miracula, quæ inibi etiamnum,
nec usquam alibi parrantur. Ibi mortuos
adhuc resurgere, mutos loqui, cæcis vi-
sum restitui, ejici dæmonia, alia supra
naturam conspici, seque ad hujus testa-
tionem veritatis sanguinem libentissimè
fundere.

CVLTRIX CRVCIFIXI. 171

fundere. Id quod magni animo ardore contentaque voce præfatus est, et si eodie ad vesperam usque, nec cibo se, nec potu refecisset.

Februarii primo è carcere eductus, trahæ impositus, ad supplicii locum raptus, plaustrum deinde conscendere iussus, laqueo ad patibulum appensus, strangulatus, & post mortem in quatuor partes, CRVCIS in modum dissectus, CRVCIFIXO, quem sincerè amaverat, se suaque omnia libens consecrauit; postquam in extremis ad patibulum, sublatis in altum manibus magno animi sensu pronunciaisset verba illa CHRISTI IN CRUCE pendentis: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.*

Fuit & illud in CRVCIFIXVM peculiaris affectus indicium, quod cum Regis Christianissimi legatus misisset quendam, qui Patrem inviseret, agnoscens eximiam illam Oratoris humanitatem, ipsi ad animi gratissimi testificationem, transmiserit ei dono, ut rem sibi gratissimam, & summæ æstimationis CRVCIFIXVM argenteum, rogans submissè, pergeret porro Catholicæ Religionis defensionem in Anglia cordi habere, Catholicosque ipsos tueri.

Narratio latina de morte P. Henrici Mors, typis edita Gandavi Anno 1645. Relatio Belgica eodem anno impressa loco minimè adjuncto. Libellus de certamine triplici a tribus Societatis JESV Sacerdotibus in Anglia confecti. Antverpia apud Mensium 1645.

II.

AMATOR CRUCIFIXI

Reparare conatur honorem Crucifixi ab improbis Hebraeis violatum.

102.
AVGVSTI-
NVS DE
CASTRO
Hispanus.

AUGVSTINVS DE CASTRO, Hispanus, magnus Theologus, nec minor Ecclesiastes, ideoque à cathedrâ translatus ad pulpitem, multa præclare dixit; sed rapit me una ejus Oratio de CHRISTO CRUCIFIXO, ad supremos fidei inquisitores habita, cum octiduanâ celebritate honorem CHRISTO DOMINO, quem Judæi quidam scelerati per summam impietatem violarant, repararent; postquam nefarios illos igne aboleverant, ob concisam flagris CHRISTI Servatoris imaginem. Ex qua miro prodigio SANGVIS effluxit, & vox formata, quâ sciscitabatur impios, cur se ita conciderent? *Popule meus, quid feci tibi?*

Bibliotheca Societatis. A.

III.

AMATOR CRUCIFIXI

Effigiem Crucifixi præferens, & sibi commissos animans ad fortiter pro Christo occumbendum, pectus suum telis inimicorum libenter offert.

IGNATIVUS FIAGLIO Lusitanus è Societate JESU, cùm in Mogoræ Christianos ad fidei constantiam in excitatâ dira persecutione adhortaretur, manu CRUCIFIXI effigiem prætendens, ab impiis multis vulneribus confossus occubuit. Anno M. DC. XXXIII.

103.
IGNATIVUS
FIAGLIO
Lusitanus.

Joseph de Castro litteris datis Agra Regia Mogoris, 8. Octob. 1633. ad Rector. Coll. Taurin.

IV.

AMATOR CRUCIFIXI

Optat circa finem vitæ, & genus mortis, aliasq; circumstantias conformari Crucifixo Domino.

IOANNES DEL CASTILLO Hispanus in Paraquariâ, Barbaris furore in Christianos concitatis, primum contumeliis

104.
JOANNES
DEL CA-
STILLO
Hispanus.

tumeliis & pugnis affectus, tum victus, deinde jaculis fuit confixus; mox fune constrictus per aspera montium raptarunt eundem impii totos mille passus, & plagas superingesserunt prodiga immanitate. Tunc illigatum arbori brachiis in CRUCEM expansis, repetitis vulneribus mactarunt. Demum, validiore lacerto saxum Sacro ejus vertici illisum latam animæ portam aperuit ad felicem æternitatem.

Sed neque à cadavere temperatum est. Caput contusum, reclusa præcordia, totum igne absumptum. Obiit generosus Athleta, CHRISTO penè per omnia configuratus (quod haud dubiè, si prævidisset, optasset vivens) nimirum, tertio, ac trigesimo ætatis suæ anno, feriâ sextâ, horâ post meridiem terriâ, & ne quid decisset, CRUCIFIXVS. Anno Christi M. DC. XXVIII. XVII. Novemb.

Franciscus Crispus Relatione propriâ. Ioan. Eusebius Nieremberg. in historiâ panegyrica. Annua Paraquarsa S. I.

V.

AMATOR CRUCIFIXI

*Vitam suam Crucis virtuti, beneficioq³
acceptum fert, & idcirco se gratum
Crucifixo, de eâ scribendo, ac vim
ejus prædicando exhibet.*

HIERONYMVS DE HIGVERA Hispanus in familiari cum amico congressu sæpe ita loqui erat solitus: Ego vitam, quâ fruor Sanctæ huic CRUCI, (designabat Caravacensem) acceptam refero. Cùm enim adolescens annum XVII. necdum explevissem in periculosam incidi ægitudinem, quam immoderata ejus ætatis studia, & exercitationes mihi pepererant, aded, ut quadraginta dies feбри continenter jactatus viribus deficerem, & graviora in posterum ab heclico ardore etiam formidarem.

Ecce autem, nescio quo die, lectulo, propter debilitatem affixus defixi oculos in taperem parietibus in conclavi appensum, vidiq^{ue} intextam ei quandam CRUCIS Caravacensis figuram, quam obnixè petii à matre tum astante, capiti & pectori meo applicari, certam spem ingressus, fore, ut contactus ille mi-

105.
HIERONY-
MVS DE
HIGVERA
Hispanus.

hi esset salutaris. Nec spes fefellit. Nam statim atq; mater ex tenerâ pietate collachrymans CRUCEM partibus, quas expressi, appressit, vis morbi adeò remisit, ut intra quatuor aut quinque dies penitus me senserim convaluisse.

Quare, tam eximii beneficii memor, nunquam neglexi occasionem grati animi signa pro meo virili expromere, & DEVM pro tam insigni munere supplex venerari. Hic deinde diligenter investigavit omnia quæ ad CRUCIS CARAVACENSIS memoriam, venerationemque conferre possent, ut hanc animi gratitudinem demonstraret.

Ioannes Robles in historia de Cruce Caravacensi cap. 1.

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

Spectaculo Crucifixi atro lecti velo, & mox revelati, feriâ sextâ hebdomada sanctioris inimicitias & simultates in civitate capitales feliciter tollit.

106.
BENEDI-
CTVS
PALMIVS
Italus.

MAMERTINA civitas communi gaudio, longè autem fama per omnem Siciliam celebravit, quod BENEDICTVS PALMIVS percelebris è Societate Concionator virtute CRUCIFIXI effecit Anno M. D. LII. Sebastianus erat Ansalonius ex familiâ opulentâ ac nobili,

li, cui ob interemptum fratrem cum alio item cive nobili Papardo odium inexpiabile annum iam septimum intercedebat. Hi multos propinquorum, ac necessariorum trahebant in partes. Multi ob eam rem in exilium acti. Papardus jam pridem datus in carcerem, sæpeque tortus, supplicium indies ultimum expectabat.

Ceterum, Ansalonius, quamvis in ultionis rabie obstinatus, per ejus anni Quadragesimam cæpit non illibenter Palmii concionibus interesse: nec raro vehementer incitabatur animo ad Christianam lenitatem; sed molitus penitusque medullis insitus furor cælestem flammam pectore concipi non sinebat.

Ecce autem feriâ sextâ majoris hebdomadæ, Benedictus, quamquam dicendi genere concitatissimo semper & lachrymarum promptissimarum copia utebatur, præter morem incensus, post horarum propè septem declamationem, cum de more CRVCIFIXI effigiem populo pararet ostendere, jamque eam paululum detexisset, repenti, haud sine divino instinctu, rursus obvolvitur, & accensas faces jubet extinguere, magna voce contestans, nequaquam se populo CHRISTVM Dominum, quem suis peccatis in CRUCEM egerint, ostensurum, nisi numquam ejus Majestatem

violaturos in posterum eodem loco sponderent.

Cunctante hîc multitudine, partim attonitâ, partim artificio quodam ea agi existimante; convertitur ad CRUCIFIXVM Palmius, atque ita, ut erat nigro velamine obtectum, arctè complexum, cum lachrymis, ac voce lamentabili, En, inquit, Domine mi IESV, nōne verum est, quod dicimus: *Populus hic labiis me honorat, Cor autem eorum longè est à me?* An servos tuos profiteri se nolunt? Hac voce cordibus auditorum, tanquam pugione perfossis, continuò gemitus, & comploratio extitit, strepitusque confusus, volumus ingemmantium, volumus: CRUCIFIXVM revela.

Ansalonius inter hæc, qui multum concione totâ profuderat lachrymarum, æstuabat, angebatur, & quia linguam dolor ac fletus impediebat, sæpe animo secum, Volo, iterabat. Famulum quidem etiam misit, qui fidem Concionatori faceret, Ansalonium, quæ ille vellet, acturum. Sed antequam ad suggestum famulus veniret exundantis impetum pectoris, angoremque ipse non ferens, erupit repente, ac voce, quanta potuit, maxima exclamavit: En, Domine, faciam quod voles. Qui clamor tantus strepitu concionis represso, Concionatorem, quoque sic perturbavit,

ut

IMITATRIX CRUCIFIXI. 179

ut vix sui potens Latinè quæreret, Quis est tu? Cui ille, Ego sum Sebastianus ille Ansalonius.

Hic verò ad sonitum ejus nominis in universo populo, cui notissima erat hominis pertinacia, & optatissima conversio, immensa lacrymis mysta sunt gaudia. Palmius jussus rursus accendi facibus optatam tandem Domini effigiem è CRUCE pendentis, remoto velo spectandam offert, ac de clementiâ Salvatoris immensa disputans, iterumque ad detestationem scelerum, & nova vitæ exordia omnes adhortans finem dicendi fecit.

Opperiens Ansalonius descendentem suggesto, ruensque in ejus amplexum, negat se ab Collegio recessurum, donec, quod sponderat, cumulatè perficeret. In eandem sententiam dat litteras ad propinquos, neutiquam se elaturum ab Collegio pedem, nisi & ipsi in pacem consentiant. Advocatur publicus Scriba: res tota componitur.

Papardus, qui ad supplicium ultimum jam se Christianâ æquitate composuerat, è carcere liber educitur, exules revocantur: cuncta civitas gaudio gestit. Ansalonius verò penitus jam alter, totus primò in expiandâ priorè vita occupatus; deinde mortiferi criminis, quod causa necis CHRISTI CRUCIFIXI

fuiſſet, horrore concepto graviffimo, ne quid unquam tale committeret, octavo quoque die Divinis ſe communire myſteriis exorſus; poſtremò, tanquam in arcem, in Capucinatorum confugit ordinem, ibique vitam tantæ converſionis celebritate dignam peregit.

Historia Societ. IESV par. 1. lib. 12. à num. 27. Nicol. Grlandini Iacobus Damianus in Synopſi Societ. IESV lib. 1. cap. 10. §. 2.

VIII.

AMATOR CRUCIFIXI

*In quâlibet expeditione, Crucem extol-
lit, præfert, erigendam, honoran-
dâmq; ſuadet: & ut fiat
obtinet.*

107.
PATRES
in
ASIA.

ANNO M. D. LVIII. multa conti-
gerunt ad hõnorem CRUCIFIXI per
Societatis IESV Patres, qui tunc cura-
bant rem Chriſtianam in Aſiâ, per In-
diam diviſi.

Ternate extrema tolerabantur tem-
pore obſidionis; per cujus moram, cari-
tas primùm annonæ, inde inopia, poſt
fames orta. Accessit, ut aſſolet, morbi
genus exitiale, qui pueros præcipuè &
indigenas ſtravit. Expectabatur à Joan-
ne Baccianſi Rege nuper ad CHRISTVM
converſo auxilium, cujus tandem con-
ſpecta eſt clafſis. Inprimis agebatur na-
vis in quâ

FER.

AMATRIX CRUCIFIXI. 281

FERDINANDVS OSORIVS præal-
tam statuerat CRUCEM, in eâdemque
ipse qui auxiliarem classem accurave-
rat, vehebatur. In obsidione vel maxi-
mè Sociorum virtus enituit. Semper ex
iis non-nemo in navigiis discursabat,
CRUCEM præferens, & socios navales,
militesque confirmans, inter hinc atque
hinc horrendo sibilo prætervolantes
missos hostilibus tormentis globos. Alii
in urbe militibus animos strenuè adde-
bant, ægrotis solandis operâ & alloquio
nullum non subibant laborem: ut ur-
bem in fide continerent omnes vias
tentabant.

At Regem Baccianensem ad feren-
dum Christianis auxilium, nihil nisi
Ferdinandi adduxit auctoritas. Ubi e-
nim ad eum pervenit statim de exci-
tandis per varia loca SANCTÆ CRUCIS
insignibus cœpit agere. Rex eo se obse-
quentem alacrius præbuit, quod narra-
bat, proximâ nocte, visum sibi in quie-
te Puerum, qui parvam CRUCEM quam
gestabat in capsulâ, porrigens, exhorta-
batur eum, ut caperet, quod ingens, per
CRUCIS opem esset futurus.

Sacro igitur Epiphaniarum die, quod
templum nondum erat extructum, in
extemporariam arborum ramis conser-
tam domum convenère quidam è Ter-
nate Christiani, Lusitani aliquot, Rex-
que

FERDI-
NANDVS
OSORIVS.

que cum suis ad CRUCEM in unum è præfinitis locis deportandam. Ibi Oso-
rius, secundum piam exhortationem,
luteo indutus amiculo Litanias flexis
genibus præit, Regemque omnium pri-
mum ad sustolendam, quæ humi jace-
bat, CRUCEM aggredi jubet.

Sanctum CRUCIS onus alacriter unà
cum Proceribus Rege subeunte, profe-
quente cælestium salutationem Oso-
rio, ad destinatam ventum est sedem. Hic
suis Rex manibus humum molitur, ac
triumphale statuit CRUCIS signum, cæ-
teris undique genibus humi positis, &
Oso-rio preces tempore convenien-
tes, elatâ, piâque voce peragente.

Addidit capitale edictum Rex, ni sui
omnes quotidie mane genua ante CRU-
CEM flecterent. Inde reversus ad sua,
Socios Baccianum ad tradendû CHRI-
STI CRUCIFIXI legem lætus avexit, &
pia persequi cœpta institit. Hæc in
Asiâ.

*Franciscus Sacchinus Hist. Societ. par. 2. lib. 2.
à num. 182. Iacobus Damianus in Synopsi rer.
Societ. lib. 2. cap. 2. §. 2.*

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

*Diebus anticineralibus, dum mundi
mancia Bacchanalia celebrant,
Christum flagellatum, Crucem ba-
julantem, & alia dira Passum, cor-
poris afflictatione, representat; sicq̃
licentiam Bacchantium coërcet.*

IN Europâ fuit olim penè ubique, & 108.
est etiamnum alicubi prava consue- PATRES
tudo, triduum illud, quod antecedit so- in
lemne quadraginta dierum jejunium in EVROPA.
Ecclesiâ Christianâ ab Apostolorum
temporibus sancitum, receptum, & præ-
cipua semper Religione observatum,
appellare Bacchanalia. Quod nomen a-
pud Christianos ne quidem audiri de-
beret. Sed pejus erat, quod plurimi no-
mine ac habitu Christiani à CHRISTO
suo ad Bacchum palam, & apertè defi-
cere viderentur, & conspiratione factâ,
Bacchanalia viverent, idque posito pu-
dore, ne Curios quidem simulando.

Bacchanalia autem vivere interpre-
tabantur, licentiosissimè, intemperan-
tissimè, petulantissimè dies noctesque
transigere. Hosce dies, quibus etiam
noctes includebant, gloriabantur sepo-
sitos esse ad cutem farciendam, sepositos
ad

ad carnem impinguandam. Hosce dies dicebant in summâ jucunditate usque ad ebrietatem, in summâ ingluvie, usque ad stultitiam, in summis sordibus usque ad insaniam esse traducendos.

Vagabantur passim larvati, virorum, mulierum, Faunorum, Satyrorum, Caedæmonum schemate, per plateas, fora, palatia, symposia, convivia turpissimi homines, Bacchi sacrificuli, immemores Religionis, professionis, nominis, quia Christiani.

Res visa indigna institutis CHRISTI sanctissimis, dedecorosa Religioni, non ferenda in populo acceptabili, qui sectator esse deberet bonorum operum, non particeps Dæmoniorum. Itaque Amatores CRUCIFIXI quidam, qui voce valebant, & lateribus, occurrendum rati popularium insaniam, ascenderunt cathedras, monuerunt opportunè, importunè, ut vesaniæ idololatricæ modum ponerent: ostenderunt facti fœditatem, minis egerunt, & gravissimis Scripturæ Sacræ sententiis, Patrumque reprehensionibus aculeatis.

Probaverunt exemplis, uti Bacchus olim hostes suos (quod fingeant Poetæ) in lynces, tigres, pantheras, ita Bacchanalia Christianos in idololatrias, sapientes in fatuos, & quod certissimum, sobrios in temulentos, castos in inco-

stos,

IMITATRIX CRUCIFIXI 185

stos, Sanctos in profanos, penè dixerim, Angelos in Cacodæmones commutare.

Riserunt ventris mancipia, & nullâ temporis habitâ ratione ab Ecclesiâ mœstitiæ dicati, nulla Concionatoris CHRISTI, de excessu suo, de Passione, & atrocissimis tormentis sibi inferendis in Evangelio illius temporis declamantis, nulla Gentilium & Hæreticorum, quibus hoc nomen Christianum ac Catholicum est blasphemandi occasio, clamores insanientium, Bacchicosque tumultus edere non cessarunt.

CVM igitur verbis non proficerent CRUCIFIXI Amatores, Patres Societatis, indicarunt factis facta contraria esse opponenda, & spectaculis certandum contra spectacula. Itaque fuerunt, qui illis diebus, non ritu Bacchico ad stultitiam larvari, sed pœnitentium more, ad pietatem velati, novo exemplo, flagris, virgis, loris, spontaneâ diverberatione, CRUCIFIXI effigie prælata interga sævierunt, & palàm furori bacchantium sese objecerunt, misericordiam, misericordiam, magnis clamoribus ingeminantes.

ANNO M. D. LII. Valentia, in Hispaniâ, sex è Societate JESV, pridie Cinerum, quo maximè die Satan, & licentia dominantur, nudi pedes ac verticem,

PATRES
VALEN-
TINI.

ticem, longum ab cervice funem trahentes pendulum, ac duo etiam nudi terga, flagellis armati, cæteri CRUCEM Calvariamque alterni manu gestantes obiêre urbis celeberrimas vias, dantes se in bacchantium turbas: subinde clamores horribiles, de morte, de supremo Iudicio, de Tartari pœnis æternis, & similibus horum concionabundi ejaculantes, inter duorum se diverberantium crepitum, cruoremque, haud sanè pœnitendo exæstuantis licentiæ temperamento.

Gemina in aliis Europæ partibus præstiterunt Socii. Et imitati sunt Patres suos frequenter boni filii Sodales Mariani, de quibus suo loco.

Nicolaus Orlandus Histor. Societ. 1. p. par. 1. lib. 12. num. 52. Imago primi Seculi Societ. lib. 3. cap. 2. par. 375.

IX.

AMATOR CRUCIFIXI

Spectacula cruenta ac periculosa, Passionis Dominicæ insignibus & flagellantium cruore impedit.

108.
PATRES
GANDIENSIS.

ANNO M. D. LII. Gandiæ in Hispaniâ, cum Taurica, & alia quædam (quæ Arundinum vocant) spectacula danda essent, sub sancti Jacobi Majoris solemnia, in quibus cuncta civitas Jobelæi se expiatione renovarat, octo Sociorum

AMATRIX CRUCIFIXI. 187

ciotum è numero, quorum pars dimidi Sacerdotes, convènere inter se, ut rem periculi plenam, & quam sæpè hominum interitus, & sauciatio comitatur, everterent; neque ita subitò, recens animarum nitor theatriali macularetur licentia. Ergò sic instructi ornatique è Collegio prodierunt.

Procedebant numero quatuor, quorum Princeps fune de cervice suspenso, ingens manu Signum CRUCIFIXI Domini præferabat, postremus, recte item ad collum alligatâ, defuncti hominis cranium ad terrorem ostendebat; intermedii verò duo nuda sua terga flagellis perpetuo verberare laniabant. Opportunè in caveam pervenerunt primo agitato, jamque incluso tauro. Ad novum spectaculum oculi repentè omniù cum stupore quodam conversi.

Sacra CRUCIFIXI Domini effigies, mortis imago, sese lacerantium fragor, & fœdatâ cruore terga commovebant; cum unus è quatuor in quosdam gradus evadens, addere clamores terrificos cœpit, ut jam totum theatrum misericordiam inclamaret. Ita perculso populo ex aliâ parte propè sedilia Ducis & conjugis, eodem ornatu ac terrore alii quatuor apparent, paribusq; etiam verborum facibus Spectatorem incendunt. Inde tantus excitatus est in populo

pulo fletus, tantus animi dolor, ut plorantibus & vociferationibus omnia DEI clementiam implorantibus personarent. Ergò averfa à spectaculis multitudine, quamquam sumptibus non modico apparati missi sunt ludi, & sanus domum suam quisque revertit, ut si de templo non de theatro discederet. Pars tamen maxima redeuntes domum Patres certatim prosequuta, eo motu, ut non pauci, quos nec temporum calamitas, nec Jobelæi indulgentia flexerat, exemplo illo dejecti ad Confessoriorum pedes acciderint.

Nicol. Oland. hist. Societ. l. 22. num. 53.

X.

AMATOR CRUCIFIXI

In electionibus ad officia, aut dignitates postulat à Sanctissimâ Trinitate per Quinque Vulnera CHRISTI, ut Electores septem Spiritus sancti donis illustrentur, ac dirigantur.

110.
PATRES
Primi Societatis

ID animadverto factum in Societate IESV primis statim temporibus. Siquidem ad Supremos translato IGNATIO Fundatore, cum indicta esset Congregatio Generalis ad novi Præpositi creationem promulgatę sunt preces per universam Societatem pro bono Comitiorum

rum exitu ; præscriptumque à Vicario , ut ad Congregationis finem qui in maximam DOMINI laudem cederet , ac felicem successum impetrandum , extraordinaria pietatis munera exercerentur. Ex eo tamen die , cum illi , qui latenti suffragium erant , multò ardentius in preces & sacra facienda , in voluntaria verbera , jejunia & alias pias corporis vexationes incumberent , quando cognoscendis hominibus , ut maximè idoneo munus demandaretur , insisterent. Quo præcipue Quatriduum , quod Informationum dicitur , spectat.

Itaque in domibus Professorum & in Collegiis Scholasticorum pia illa opera ardentissimis studiis usurpabatur , partitis afflictationum , ac precationum certis generibus , ut in aliis alii per vices exercerentur : ac potestate cuique facta , quoad Præpositus renunciaretur , seu mente , seu voce , quantum placeret , orandi.

Communiter autem fuit injunctum , ut , qui Sacerdotes non essent , TER , & QVINQVIES , & SEPTIES , quotidie Orationem Dominicam , & Salutationem Angelicam pronunciarent , ut à SACROSANCTA TRINITATE , per QVINQVE CHRISTI Domini VVLNERA , ad felicem Generalis , qui secundum cor DOMINI sit , delectum , SEPTEM SANCTI SPIRI-

TVS DONA exposcerent.

*Hist. Societ. part. 2. lib. num. 21. Francisci
Sacchin. Anno 1558.*

DECAS XII.

I.

AMATOR CRUCIFIXI

In electionibus ad officia, aut dignitates, coram Crucifixo, & flexis ante illum genibus, fert suffragium, aut illud bis legit, ut nihil det affectui; sed solam Crucifixi spectet gloriam.

III.
PATRES
Electores
Præpositi
Generalis
Societatis.

OBSERVATUR id accuratè in Societate IESV, quando eligitur Præpositus Generalis hoc ritu. Electores ex singulis Orbis universi Provinciis, aut Europæ saltem, terni conveniunt. Ibi imprimis accipiuntur informationes de personis ad tantum munus idoneis, ut statuatur de dignissimo, quia aptissimo. Tunc die destinata, communionem sacram in templo peracta, inde CRUCE prælatâ, campanâ perfonante, Sociis Collegii sancti Spiritus hymnum concinentibus, ordine bini incedentes ad electionis concalve progrediuntur, ibidemque includuntur. Inclusi seorsim singuli abjiciunt sese in genua, coramque augustissima præpotentis DEI, & cuncta videntis Majestate

IMITATRIX CRUCIFIXI. 191

te per unius horæ spatium in deliberatione, atque oratione persistunt. Tempus id est, quo ex percepta ante notitia statuere quemq; apud se oportet, quem facere Præpositum Societatis velit, nullo amplius cum quopiam mortalium communicatione adhibita.

Horâ exactâ, recitatoque hymno Spiritus sancti, Electores nomen Præpositi scribunt: Vicarius ejusque collaterales jurant se bonâ fide suo functuros munere, suffragia accepturos ac promulgaturos. Ac protinus Vicarius ad aram ibi positam accedens, ante CHRISTI Domini è CRUCE pendentis imaginem, genibus flexis, CRUCIS se figura manu signans, Sanctissimaque Patris, Filii, ac sancti Spiritus nomina appellans, jurisjurandi formulam, sublata voce, manu pectori admota pronunciat in hæc verba:

Ego testem invoco JESUM CHRISTVM, qui est sapientia aeterna, quod eum eligo & nomino in Præpositum Generalem Societatis JESV, quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum. Tum suffragium suum complicans, & ad mensam accedens, in urnam hunc paratam in usum sanctissimo undique JESV pictam nomine palam demittit. Ceteri omnes eadem veneratione CRUCIFIXO exhibitâ, eademque jurantes verba ordine subsequuntur.

Quæ

Quæ ubi rectè peracta, Secretarius Urnâ commotâ, educere singula aggreditur: atque, ut quodque extraxit, Vicario tradit inspiciendum, Vicarius utrique Socio tum clarâ voce renunciat, nomine electi expresso.

Hist. Societat. p. 2. lib. 2. à num. 17. Francisci Sachini, Decr. Congreg. 4. Gen.

II.

AMATOR CRUCIFIXI

Coram Crucifixo jurat, se muneri, ad quod electus est, cum fide satisfacturum.

1126
PATRES
ASSISTEN-
TES. Præ-
positi Ge-
neralis.

HOC quoque usurpatur in Societate IESV solemniter. Siquidem electo Generali Præposito, eoque præsidente, eliguntur eidem Assistentes in conciliis & gubernatione totius Ordinis sacri. Peracta autem electione singuli Assistentes flexis genibus coram imagine CRUCIFIXI, quæ ad hanc rem supra mensam est collocata, his verbis jurant.

Testem invoco DEVM, cujus oculis omnia nuda sunt, si acciderit aliquod ex iis, que sufficiunt, ad Præpositum officio suo privandum, simul atque res per testimonia sufficientia, vel ipsius adfirmationem constaret, me fideliter Societati denunciaturum, & Congregationem Generalem convocaturum, juxta Constitutiones.

Hist. Societ. Quarta Cong. Gener. in formulâ c. 8.

III.

AMATOR CRUCIFIXI

*Insignia honoris ornat signis Passionis
Dominicæ.*

QUEMADMODVM Chrismale & candi-
dum filo rubeo insignitum bapti-
zatis datur, ut sint solliciti servare can-
dorem virtutum, quem in Baptismo per
Passionem Domini rubricatum accepe-
runt, sicque CHRISTI PASSI & SAN-
GVINOLENTI semper sint memores; an
fortasse idcirco majores nostri homines
pii, & CHRISTI CRUCIFIXI non mi-
nùs Amatores, quàm Doctores eximii,
ornarunt Pileum Doctorem, supre-
mæ in Theologia laureæ, *Τικμῆσι* v. flo-
cis quibusdam è rubro filo contextis,
tanquam PASSIONIS DOMINICÆ re-
memorativis symbolis? Ut quoties ea
honoris sibi collata insignia portant,
qui vocantur Eximii Magistri Nostri,
recordentur CHRISTI CRUCIFIXI,
tanquam Magistrorum Magistri, è li-
gno CRUCIS subtilius, quàm ex eburneâ
cathedrà docentis.

Siquidem, *Lignum b CRUCIS, in quo
fixa erant membra Patientis, etiam cathe-
dra fuit Magistri docentis. Ibi Obedientia ad
DEVM, ibi charitas ad proximum, ibi pa-
I tencia*

113.
DOCTORES
Theologiæ
Societatis.

tientia in adversis, ibi exemplum omnis virtutis, qua ornamenta sunt Doctorum, invenitur c, ac docetur.

JAM videor intelligere, quid Patres Religiosi, qui se profitentur Amatores **CRUCIFIXI** moverit, ut cum respuant honorum & dignitatum insignia, quia ipsis honoribus ac dignitatibus nuntium remiserunt, patiantur nihilominus sibi imponi istiusmodi floccantes pileos, eosque in Academicis confessibus deferant. Nimirum, habent illa, certè, habere possunt, tanquam signa quædam, quibus ad Domini **PASSI, & CRUCIFIXI** memoriam excitentur.

IN primâ Congregatione Generali *d*Societatis **IESV**, quæ fuit celebrata, haud ita multo post mortem Conditoris Ignatii, quæ fuerunt Quidam, An Doctores & Magistri de Societate, cum publicis præsentibus disputationibus, aut Scholasticos in Universitatibus examinant, ea insignia serica, quibus alii Doctores, aut Magistri utuntur, ferre debeant? Responsum fuit: istiusmodi causam deferendam esse ad Prepositum Generalem ut declaret Constitutiones Universitatum.

Non tamen incommodum videri si nostri in illis actibus publicis, de quibus quærebatur, portarent aliqua insignia,

in pileo præsertim, ut sunt fila illa serica quæ ponuntur in medio pilei. Quod responsum deinde relatum fuit in Congregationis ejusdem Canonem.

Si autem esset incommodum aliquod, aut apprehenderetur, plurimum mitigari posset, aut penitus tolli, piâ illâ de CHRISTI PASSI memoriâ, & consideratione.

- a Ita vocabatur vestis candida baptizati, per modum cappæ manicatæ, quâ caput involuebatur. Durand. Ration. officior. divin. lib. 6. cap. 82.
- b. S. Augustin. lib. de Agon. Christ. cap. 11.
- c. S. Thom. in cap. 12. ad Hebr.
- d. Congreg. 1. Tit. 6. decr 52. insignia Doctoratus. Et Can. 19. Constit. Societ. par. 4. cap. 15. §. 2.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

Religionem Christianam Catholicam
Cruce & Gladio defendendam di-
ctis factisq; ostendit.

ANNO M. D. LX. Goæ in India Orientali, quo die Sancti Pauli honoratur Conversio, veteris, angusti & ruinosi loco novum dignumque Goano Collegio templum in Gentium Doctoris nomine inchoatum est. JOANNES NVNNIVS Patriarcha Æthiopiæ ex Societate Jesu, cum Goæ moraretur, per-

114.
JOANNES
NVNNIVS
usitanus.

egit solennes ritus ; aureoque ligone
auspicatus opus , primarium deiecit in
fundamenta lapidem C & V E S inscul-
ptum.

Secundumquem lapidem, Constan-
tinus Prorex alterum insculptum GLA-
DIO demisit. Argumentum opinor, &
CRUCE ab Sacris Potestatibus, & ferro
à profanis Religionem defendi, & ad-
versus obstantes propagari debere.

*Histor. Societ. par. 2. lib. 4. num. 235. Frati-
scus Sacchinus.*

V.

AMATOR CRUCIFIXI

*Gaudet, si propter Christum in Cruce
nudum, nudus ipse in modum Cru-
cifixi ligno alligetur, & ludibrio
exponatur.*

115.
ALFONSVS
CASTRIVS
Lusitanus.

IDperessus est interiori gaudio ex-
ultans ALFONSVS CASTRIVS Lusita-
nus Olisipponensis, qui apud Molucen-
ses gloriosum vitæ finem sortitus est,
circa annum Domini M. D. LVIII. Fue-
rat Castrius jam inde à puero pietati
apprimè deditus, ad eamque quasi à na-
turâ factus: præterea, valdè ærumna-
rum, ac vitæ, pro CHRISTO nostri caus-
sâ CRUCIFIXO fundendæ cupidus:
præclarus suimet humanæque auræ con-
temptor.

IMITATRIX CRUCIFIXI. 197

tempor. Diligenter autem in pietate educatus ac litteris, Societatem JESU ad ultimos rerum Indos petiit. Adventum in Indiam, in Societatem Xaverius recepit; in quâ præclara multa gessit, Gocini, Malacæ, alibi, tandemque in Moluco.

Ex Mauricâ regione, ubi statum Ecclesiarum composuerat, redux in mari captus est, monente Rege, qui captivus à Lusitanis tenebatur, ut nautæ Sacerdotem Christianum comprehenderent. Illi sine mora, velut rabidi prædones, libros famuli DEI Sacrum Calicem, & ceterum apparatus rei divinæ, & quicquid ad humanæ necessitatis vehebat usum, diripiunt: mancipiis etiam tribus, quæ cum comitabantur, manus injiciunt. Et ipsum adorti vestimentis omnibus nudatum, crassoque circa collum fune implicito, totum, in modum CRUCI AFFIXI arctè ad navigium alligant. Tum ita vinctum, nudumque ad captivi Regis filium sub ipsam Ternatem, quam obsidebant deportant.

Barbarum licet peccus, ut cui longo usu nota Patris inter Christianos dignitas, ac veneratio erat, ea species commiseratione, & quadam verecundiâ pupigit. Itaque satis constat, femoralia sibi ipsum, & indusium detraxisse,

& ejus texisse nuditatem. Inde cum postulare sibi captivum tradi, ut custodia fidâ servaret, prædones, ob eam rem negantes tradi necesse esse, custodiam enim se in omnes partes intentam tutissimamque adhibituros, secum in suam insulam Iri avexere. Huc ubi ventum, rursus donatis à Regulo integumentis spoliant, & exiguo tantum panno femoribus circumjecto, manibus post tergum vinctis, prægravi ad colulum alligato stipite, aperto sub cælo statuunt, atque ita triginta dies, totidemque noctes habuere.

Tandem, post diversissimas in CRUCIFIXI Amatorem cruciatuum species, stipiti, ceu CRUCI alligatum verberibus excipiunt, aures impiis in CHRISTVM vocibus vulnerant, ad Mahometis cultum allicere satagunt: apostasiam execrantem raptant, ac Sicariis duobus mandandum tradunt. Locum cædi opportunum quærentibus planitiem modicam designat. Truncus in ea jacebat ingens, & alluebatur mari. Hic solutus vinculis in genua ad precem & ictum abjicit sese, ad cælum oculos & manus tollit, orat, tum trunco incumbit, & ut sacra victima, ad ictum se componit.

Gravem illi plagam, sub costas carnicum alter infligit, & alteram, quâ demum confectus est, alter superaddidit:

AMATRIX CRUCIFIXI. 199
dit: dein addita mortuo tertia: exanimē corpus in mare devolvunt.

Hic exitus Alfonsum verum CRUCIFIXI Amatorem ad CHRISTVM Triumphantem evexit. Mare, Aër, Terra, applausisse videri potuerunt, & tantæ virtuti testimonium dare. Mare demersi per Sicarios corporis vulnera non attigit: adeò triduo post recentissima sunt visa: eductum ex undis conspecti per auram splendores illustravere. At Sicariorum artus pestilens absumpsit ignis.

Francisc. Sacchinus in Hist. Societ. p. 2. lib. 2. à num. 174. Iacobus Damianus in Synopsi Societ. lib. 2. cap. 8. §. 2.

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

Profitetur scripto chirographo, spem omnem suam in Christo Crucifixo esse, dum vitam laboribus plenam, ob Christi amorem aggreditur.

NON in operibus bonis, quæ fecit, facietque; non in meritis suis quibus, per divinam gratiam abundat, aut abundabit; non in humanis ullis quorumcumque subsidiis, quibus frui licebit, sed omnem spem fiduciamque suam

116.
PAVLVS
CAMERS
Italus.

ponit in IESV CHRISTO PASSO & CRUCIFIXO serius illius Amator. Qualis inter plurimos in Societate IESV fuit.

PAVLVS CAMERS, quo parente latur jure Collegium Goanum apud Indos, & gaudet Italia, de progenie sua fuisse tanti operis molitorem. Anno M D. XL. ante confirmatam, auctore Pontifice, Societatem, cum è primis Patribus duo mitterentur in Indiam, Paulus adiutorem se, ac veluti famulum eorum (tantâ modestiâ & submissione erat) adjunxit, edito hoc chirographo:

„ EGO Paulus Baptistæ filius, Sacerdos è diœcesi Camerinensi profiteor,
 „ SPES MEAM OMNEM repositam esse in
 „ DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO,
 „ CRUCIFIXO, cui servire in perpetuâ
 „ castitate, ac paupertate decrevi. Item
 „ que pro amore ac reverentiâ ejus,
 „ certa est mea sententia, firmumq; propositum,
 „ servire Magistro Simoni Roderico, & Socio, qui mandato Pontificis,
 „ postulante Oratore Catholici Regis Lusitaniæ proficiscuntur in Indiâ.
 „ (Is fuit deinde S. Franciscus Xavier.)

„ Itaque ab eo cum eis, non ut Socius,
 „ sed, ut illis in eorum usibus inserviam sponte meâ, & ex amore Domini
 „ Nostri IESV CHRISTI CRUCIFIXI, sperans de Majestate ejus divi-

CVLTRIX CRVCIFIXI. 201

» nã, Magistrum Simonem ac Socium,
» quos prædixi, imperaturos mihi sic in
» Indiã, ut ego quoque ad miseram il-
» lam, DEI notitiã, destitutam gentem
» aliquid proficiam. Quod cum ita sit,
» egoque sic sperem melius me Domi-
» no DEO servituum, in veritatis fi-
» dem, certumque hujus consilii mei
» testimonium, chirographum hoc feci.
» Romæ IV. Martii, Anno salutis hu-
» manæ M. D. XL.

Hoc armatu comiteuque humilli-
mæ caritatis munitus & instructus Pau-
lus cum Roderico præcessit in Lusita-
niam. Inde cum Xaverio in Indiam vela
fecit. Goæ subsistere jussus, in Societa-
tem receptus, Collegio ac Seminario, &
Sociis etiam per Indiam sparsis, inter-
dum cum potestate præpositus, multis
annis ea fecit, ac docuit, ut quamvis
ipse Goã nunquam pedem efferrer, ta-
men latissime ejus nomen, ac virtus
pervagaretur, nihiloque minus latè, per
undique dimissos discipulos suos CHRIS-
TO DOMINO CRVCIFIXO inserviret, &
uberem animarum segetem procrearet.
Erat verò pauper spiritu, pauperum a-
micus, incessu & sermone & vitæ actio-
ne simplex, & mortificatus (id est CRV-
CIFIXVS) ut de illo paucis ante migratio-
nem diebus scripsit Melchior Nunnius.

Eam autem præcessit, ad cumulan-
dam

dam Viri gloriam, diuturnus languor,
in quo mirè CRVCIS Amator omnes o-
dore virtutum suarum & animi tran-
quillitate inhabitantis in suo templo
DEI pacis indice recreavit; sicque ad
optimos bonorum laborum fructus, &
ad diuturnarum præmia ærumnarum
obitu lenissimo transit, Anno M. D. LX,
duodecimo Kal. Februarias.

*Francisc. Sacchinus Histor. Societ. part. 2. l. 4.
à num. 236.*

VII.

AMATOR CRVCIFIXI

*In itineribus quibuscumque, terræque
marique defert secum Crucifixum, è
ligno, similive materiâ, ad osculan-
dum & honorandum.*

*Caveat autem profanus, ne, vel curioso
oculorum jactu, vel alio irreverentis
animi signo offendat Crucifixum.
Secus facientes vindictam sentiunt,
inimici Crucis.*

II7.
PATRES
FLORIDÆ
Cultores.

VTRUMQUE unâ discimus narratio-
ne diversos complectente, amicos
æquè ac inimicos CRVCIFIXI, & inter
hos proditorem, ceu ludam, deterri-
mum.

ANNO

IMITATRIX CRUCIFIXI. 203

ANNO M. D. LXVIII. in Floridam penetrarunt Societatis JESU Patres octo, ut CRUCEM in eam Americæ partem inferrent, & fidem ac religionem CRUCIFIXI. Erat in eorum comitatu Caliza quidam, (sic enim Floridâ in insulâ Principem virum, sive inter incolas nobilem appellare solent) quem Præfectus, Petrus Menendez classe in Hispaniam adduxerat. Hic fidei Christianæ rudimentis catechumenus jam imbutus, & salutari Baptismi lavacro tinctus, Ludovici nomen acceperat. Credebant fore, ut gentis suæ morumque gnarus simul & linguæ callens commodè Socios deduceret, viamque muniret, sed contrâ evenit. Nam

JOANNES BAPTISTA SEGVRA Sociorum ductor ex iis septem adhibitis, Floridam salvus tenuit: reliqui in portu substituerunt. Octo illi navibus exsensione facta, pedibus porrò ingressi, duce viæ Ludovico usi, sine militum Hispanorum, qui se illis ultrò comites dabant præsidio. Supellectilem sacris procurandis, libellosque humeris gestant. Silvas, solaque loca & paludes pedibus emensos, commeatus jam defecerat: herbis itaq; & radicibus victitabant: cubabant sub dio: Ludovico interim prodicionem animo agitante: cujus tandem patriam attigerunt, procùl admodum à mari si-

JOANNES
BAPTISTA
SEGVRA.

ram, à silvestribus hominibus iisque nuda agentibus habitatam.

Socios illo in pago morari jubet, seque expectare, dum salutaris amicis redeat. Profectus igitur quinque passuum millibus, ad diem dictam rediturum se pollicitus cunctabatur. Quæ dies cum venisset, quatuor item additis, diurnæ moræ, & solitudinis pertæsus Baptista, Sacerdotem cum fratre ad Ludovicum ablegat. Hic structis insidiis sceleratus proditor armatâ omni familiâ, Socios aggressus incautos summâ perfidiâ necat. Postridie ejus diei vix illuxerat, cæteros barbarum in modum aggrediuntur, & silenti nocte, duce Ludovico interimunt Socios, genibus nixos, precibusque ad DEVM fufis, mortem fortiter pro fide JESV CHRISTI CRUCIFIXI oppetentes.

Exspoliant cadavera Barbari, sacratis vestibus sese induunt, illudunt, petulanterque insultant, quasi rem magnam contrucidatis inermibus, & non repugnantibus præstitissent. Arculam mox tres aperiunt, thesauro inhiantes. Erant hîc Biblia Sacra, Missarum Officia, libelli pii, precum orbiculi, imagines, Agni cælestis effigies, cilicia & flagella, Religiosorum nimirum arma, quibus & carnem ipsi domant, & Dæmonem fugant.

Denique,

AMATRIX CRUCIFIXI. 205

Denique, quod omnium preciosissimum, CHRISTI CRUCI AFFIXI imaginem continebat, sine quâ CRUCIFIXI Amator nunquam proficiscitur. Hic audentiores illorum tres Signo illo CHRISTI è CRUCE PENDENTIS in arculâ reperto exultant; sed dum attentius & curiosius aspiciunt oculis minimè piis, exanimes cadunt humo afflicti, & pariter expirant, Comites qui aderant inopinatâ re perterriti, ne & ipsi à CRUCIFIXO, cujus Amatores interemerant, morte repentinâ mulctarentur, in fugam se, terga vertentes, dederunt. Zelandor honoris sui est CRUCIFIXVS, qui ne quidem curiosis sceleratorum oculis se minùs honorificè haberi patitur.

*Petrus Ribadeniera in Vita B. Borgia lib. 3. c. 6.
Jacobus Damianus in Synopsi Societ. lib. 3. cap. 9.
Benzoni lib. 1. cap. 9. Gualter. in Tab. Chronogr.*

Libro 1. Reg. cap. 6. percussi sunt de populo septuaginta viri à DEO, & quinquaginta millia plebis, eo quòd vidissent Arcam Domini: nempè irreverenter, modo illicito.

VIII.

AMATOR CRUCIFIXI

*Postulat humari corpus suum mortuum
ad Crucem.*

ID fecisse reor MARTINVM GVTTE-
RIVM CRUCIS amantissimum, & à
Matre

118.

MARTINVS
GVTIER-
REZ Hispa-
nus.

Matre CRUCIFIXI peculiariter adamatum. Is Anno M. D. LXXIII. è Castellâ proficiscens Romam ad Congregationem Generalem tertiam cum Sociis Ægidio Gonzalez, & Joanne Suario de-tentus fuit in Aquitaniâ: nam transeun-dum erat per Galliam. Hic à Calvinistis ad Cardeliacum agniti fuerunt Patres, & vulneribus multati: hinc in arcem proximam tracti ad lytrum, aut mor-tem.

Hæc Martinum quinto vulnerationis die extinxit. Cui octiduo antè prænun-ciarat DEIPARA in Sacellum ad preca-tiones de viâ digresso exitum. Totidem verò post obitum horis, in mortui cu-biculum Gallicanâ veste, & facie libe-rali fœmina per medios arcis custodes, tanquam invisâ perrupit, & de sepelien-do Gutterio Suarium monuit. Idioma intellexit Hispanus. Illa sindonem, quam sub axillâ gerebat, explicuit, & cadave-re involuto surripuit se. DEIPARAM credidit Suarius, aut fœminam eo com-pulsam illius instinctu: quæ mortuo id officii præstitit, cui eadem viventi multa præstiterat.

Præclarum illud est, augustâ MA-RIAM formâ clienti apparuisse, & So-cietatem IESV omnem ostendisse sub chlamyde cõclusam. At vicissim Gutte-rius benefactis benefacta pensabat: &
Francisco

CVLTRIX CRVCIFIXI. 207

Francisco Suarez notæ eruditionis Theologo cathedram primùm ascensuro argumentum suggestit de DEIPARÆ laudibus. Hoc erat, commonstrare Auditori, plus eam unam cælitibus apud DEVM universis gratiosam esse. Et commonstravit novellus Doctor, tum quidem voce, & in Scholæ angustiis, pòst autem prolixo vulgatoque commentario, & in luce orbis Christiani. Quin tanquam officiis certaretur, habuit mox Gutierio DEIPARÆ pro eâ suggestionem gratiam.

Tanti & Matris & Filii CRVCIFIXI Amatoris corpus, à CRVCIS inimicis pessimè habitum, etiam cadaver, ad vicinã CRVCEM humatũ est, postulatione expirantis, ut est verisimile: aut si non ore expressa, animo sanè concepta. Jacuit ad CRVCEM, tanquam in fundo proprio, donec multos post annos in Hispaniam est translatum. Sed Animam jam tum vidit Sanctissima Virgo Teresia in cælum martyrii laureã insignem transferri.

Jacobus Damianus in Synopsi Societatis lib. 4. cap. 1. Platus de bono status Relig. lib. 1. cap. 34. Ludov. de Ponte in Vita Balth. Alvarez Ioann. Bonifac. in Sapiente fructuoso lib. 4. Epist. 2. lib. 5. Epist. 1. & 2. Vita Franc. Suarez, præfixa Operib. Obiit Gutierrez 21. Februarii 1573.

IX.

AMATOR CRUCIFIXI

Adsciscit sibi cognomen à Cruce, quia desiderat vivere ac mori in Cruce. Et, ut toties Crucis recorderetur, quoties nomen suum usurpat, vel audit.

119.

ID faciunt plurimi in iis Religiosorum familiis, in quibus, qui vel primo suo in Monasterium ingressu, vel dum professione vitæ statusque mutationem stabiliunt nomina & agnomina vetera ponunt, ac nova adsumunt, ut in iis nova sint omnia. Hinc Petrus de CRUCE, Paulus de S. CRUCE, Joannes CRUCIVS. Non desunt tamen etiam in aliis Ordinibus, qui ad honorandum CRUCIFIXVM idem faciunt. Recentissimum est exemplum in homine Societatis IESV.

BRVNVS
A
SANCTA
CRUCE,
Romanus.

ANNO M. DC. XL. P. BRVNVS BRVNVS, qui se postea nuncupari voluit, A SANCTA CRUCE, patriâ Romanus, & LVDOVICVS CALDEIRA I usitanus, post insignem operam rei Catholicæ in Æthiopiâ navatam, cum exacto inde Patriarchâ clam perstitissent; ac interfecto nuper Episcopo Nicæno, essent superstites. Et SANCTA-CRUCIVS quidem, multis acceptis vulneribus egit strenuè
ut si-

IMITATRIX CRUCIFIXI. 209

ut fidem Catholicam tueretur. Tandem tamen in Megogâ seu Tigri comprehensi, jussu Imperatoris occisi sunt.

Litt Societ. Tabula & Index Martyr. Societ.

X.

AMATOR CRUCIFIXI

Dum erigit Crucem, libenter ad mortem se offert inimicis Crucis.

CAVSSA proficiscendi ad Indos Patribus Societatis JESU est plantare inter Gentiles CRUCEM, & adorandum proponere, post fidem CHRISTI introductam, CRUCIFIXVM. Quod inter alios egregiè præstiterunt,

120.
PATRES
INDORVM
Curatores.

RVDOLPHVS AQVAVIVA cum Sociis quatuor eapropter occisus. Rudolphus Joannis Hieronymi Ducis Hadrianorum filius, duorum Cardinalium, Julii & Octavii Germanus, tres annos apud Regem Mogorum in magnâ vitæ asperitate, ut verus CRUCIS Amator egerat; tantoque precandi studio, ut sæpè, cum se primis tenebris conjecisset in preces, mane in eodem vestigio reperiretur. Quo tempore tot ei affuebant solatia, cælestesque deliciae, ut, tum demum diceret, se ex animi sententiâ vivere. Tanta erat erga omnes sanctitatis opinione, ut vulgo Angelus vocaretur.

RVDOLPHVS
AQVAVIVA
Italus.

Tandem autem mortem pro CRUCI-

FIXO suo in Mogoris regno frustra quæsitam, in Salfertâ peninsulâ propè Goam invenit. Ibi Rudolphus Collegii novellus Rector, dum cum Sociis optat designatque locum idoneum statuendæ CRUCI, cinguntur à Barbaris mille armatis, tam CRUCIS osoribus, quàm Vaccæ, pro summo ibi numine habitæ, cultoribus: invadunt illico incautos: & primùm Rudolpho poplites succidunt; tum plagas addunt quinas colla nudanti, sic QVINQUE VVLNERIBVS, quot in CRUCIFIXO veneratus fuerat noscibilis relinquitur.

FRANCIS-
CVS ARA-
NEA.

FRANCISCVS ARANEA dupliciter saucius evadit per vepres duriolem ad necem, nam in spinero etiamnum spirantem conspiciari trahunt ad Idolum. Tum bis circumductus, stare altero jubetur pede, & alterum, honoris indicio flectere. Facinus execrantem sagittis appetunt. Cadit CRUCIFIXO grata victima. In mortuum foeminae & pueri, rabie longâ, quia imbelli certant.

PETRVS
BERNA.

PETRVS BERNA idem pertulit, vulneratus prius in occipitio, trajecto etiam oculo, & aure graviter sauciata occumbens.

ANTONIUS
FRANCIS-
CVS.

ANTONIO FRANCISCO fissum est à Barbaris caput.

ALFONSVS
PACIECVS.

ALFONSO PACIECO confixum, ut CHRISTO in CRUCE pectus.

AMATRIX CRUCIFIXI. 211

De his quinque Martyribus scribunt, Franciscus Bencius lib. carm. Alexander Valignanus epistola propria, Annua Societ. Petr. Iarricus Tomo 1. lib. 2. cap. 4. 5. 6. Tom. 2. lib. cap. 8. 9. 10. 11. Vasconcell. p. 505. Platus de bono Stat. Rel. lib. cap. 26. Mauroi. lib. 5. Ocean. Relig. Bozius signo 27. Benzon. lib. 1. cap. 9. Claud. Robert. in Gall. Christ. Appen. par. 1. Index Martyr. Societ. Iacobus Damianus Synopsi Societ. lib. 5. cap. 7.

Passi sunt Anno M. D. LXXXIII, XV,
Jul.

DECAS XIII.

I.

AMATOR CRUCIFIXI

Ictum lethiferum pro Crucifixo, compositis antepectus, in Crucis modum, manibus lubens excipit.

INTER Quinq; Martyres Societatis 121.
JESU, qui in Sallettana peninsulâ vitam pro CHRISTO posuerunt, trucidati ab Ethnicis incolis, nominantur

ALFONSVS PACIECVS Hispanus RUDOLPHO Aquaviva etate, quæ erat XXXIII. annorum, & genere propè æqualis. Ei, cum Barbari lanceam adegissent in pectus, quod erat primum vulnus ultimo CRUCIFIXI Domini geminum; ad alterum brachia atque oculos intrepidè exsulit, & gutture excepit. Nam extensis
ALFONSVS PACIECVS Hispanus.
in

in CRVCIS figuram manibus, oculisque
sublatis in cælum, jugulum promptus
porrexit, quo inciso CRVCIS Amator
exspiravit.

Historia Quinque Martyr. Societ.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

*Antequam cum hoste à Catholico con-
grediantur Catholici, curat arma &
Signa militaria Cruce exornari, non
ad pompam; sed ad Crucifixi memo-
riam, & in eum concipiendam fidu-
ciam.*

122.
JACOBVS
GORDONVS
SCOTUS.

ANNO M. D. LXXXV. cum in Sco-
tia res catholica nutaret, subsidio
venit JACOBVS GORDONVS è Societate
IESV SCOTUS illustris. Ejus eruditione
victus fuit prostratusq; Georgius Hayus
hæreticorum antesignanus. Palam dis-
ceptatum est, partium assensu: & fœ-
mina nobilis, Gordorum dimicatione
fese accingentem, modestiâ Gallinam,
dimicantem magnanimitate Gallum ap-
pellavit.

Victi doctrinâ & argumentis arma
rapuere ad remorandos Victoris pro-
gressus. Nec ea succedere. Duodecies
bellatorum millia adoriuntur Catholi-

cos incautos. Eos Argilensis Comes ducebat, Hunthleum Erroliumque Comites ad Catholicam religionem conversos oppressurus. His enim minor decuplo erat numerus; Equites nimirum mille, pedites trecenti; sed caussa melior, quæ Religionis subsidiis adjuta, per CRUCEM triumphavit.

Antequam congregarentur, animos plerorumque noctu expiaverant, Gordonus, Gulielmus Murdus, & Alexander Macoreus, Socii: expiatis Eucharistico roboraverant epulo: denique prodeuntium arma atque vexilla CRVCIBVS munierant: confligentes jam continuatis ad DEVM precibus adjuvabant. Ita fugati sunt hostes, cæsis suorum quingentis: Catholicorum paucis, & quod obseruandum, CRUCE carentibus.

Achindunius Baro Catholicus, Religioni, etsi non contemptæ pœnas dedit: nam primâ in acie, ac velitatione periiit. Nimirum, assumendæ CRVCIS tempus haud fuerat, ordines disponenti. Gordonus, auctor CRVCIFIXI per CRUCEM honorati, victoriæ quoque per CRUCEM partæ toto regno dicebatur.

*Ex Lito. & Histor. Scot. Iacobus Damianus
Synopsis Societ. primi Saeculi lib. 5. cap. 14.*

III.

AMATOR CRUCIFIXI

Bellantibus pro fide Christianis, ipse ferventissimâ oratione Crucem impetrat, quâ in aëre visâ obtinetur victoria.

Y23.
BALTHASAR
SAR BARRI
RIERA
Lusitanus.

Sic victoriam ferè supra fidem impetravit BALTHASAR BARRIERA è Societate IESV, Lusitanis centum quinquaginta, ac Æthiopibus paucis contra Angolanos duodecies centenis millibus instructos. Res ita accidisse narratur.

ANNO M. D. LXXXIV. cum Lusitanos Rex Quilongus Angolanus irritasset perfidiâ, navibus tredecim per pacis securitatem spoliatis, & earum tutoribus, circiter quadraginta fœdè mactatis; Paulus Diazius Lusitanorum Præfectus, collectis suorum trecentis, & indigenarum paulò pluribus in Regem movit, cedentem primo ardori irritatæ virtutis. Inde ad Cambambios montes argentifodinis nobiles, quas mox occupat. Accurrit cum duodecies centenis suorum millibus efferatus eâ jacturâ Quilongus. Quantum hominum in Lusitanos centum quinquaginta, & Æthiopas subsidiarios non multos.

Hi tamen pauci, imò, pro his CRUCIFIXIS, interveniente CRUCE, & CRUCIFORMI

IMITATRIX CRUCIFIXI. 215

CIFORMI Domina, Matre dolorosâ straverunt Angolanos. Balthasaris Barrieræ brachiis ad cælum & precem, inter conflagendum sublatis, cadebant Barbari; lassitudine depressus Lusitani, at septeni tantum. Illud admirandum hic maximè: dum Pater diu brachia sustinet, CRUX in aëre conspici cœpit. Tum hinc specie plus quàm mortali Fœmina, inde Senex bellator anticipitem vibrans gladium, ac terrorem incutiens Barbaris: DEIPARAM ac D. JACOBVM interpretati sunt Lusitani.

At hostes partim cæsi, partim fugati, partim inter fugam hausti à gurgitibus. Reliqui in hydræ modum pullularunt. Sexcenties mille semel iterumq; rediêre, toties vincendi. Primum à Lusitanis biscentum, ac Æthiopibus fœderatis decies mille. Dux illis eadem CRUCIFIXI Mater. Ejus imago prælata castris vocabatur à milite. Et MARIÆ VICTRICI Sodalitium ac Templum Loandæ posita sunt.

Angolani
600000.
victi.

Historia Indica. Ex ea Jacobus Damianus in Synopsi primi Seculi. lib 5. cap. 15.

AMATOR CRVCIFIXI

E Cruce, quam gaudens conscendit, veluti è Cathedrâ suâ doctōrali libenter, ferventerq̄, concionatur.

124.
SocII
JAPONES
Crucifixi.

ANNO M. D. XCVII. in Japoniâ ad Nangazachium ob CRVCIFIXI religionem, quam prædicabant, sex & viginti Christiani in totidem CRVCES sublati sunt. Inter eos fuere tres ex Societate IESV.

PAVLVS MIQVI,

JOANNES DE GOTHO adolescens, &
JACOBVS GHISAI Senex.

Sed hi duo nondum erant Socii, quando fuerunt comprehensi: verum cum ducerentur ad supplicium, Franciscus Passius Sacerdos Societatis admisit eos legitimè, nomine Provincialis Præpositi ad institutum, quod diu ambiverant, & vota eorum excepit in vicino urbis Sacello.

PAVLVS
MIQVI.

Ad CRVCIS quisque suæ conspectum lætus, aut Psalmum aliquem, aut Canticum piè recitabat. Sed Paulus Miqui, quippè Japon & eloquens solitâ dicendi vi Ethnicos circumstantes hortabatur ad CHRISTI legem, ad Religionem CRVCIFIXI. Ad eam nuper, dum Oza-cæ, & Meaci ageret, captivos octo perduxerat,

AMATRIX CRUCIFIXI 217

duxerat. Item, alteri ad supplicium eunti fortè eandem persuaserat, contuleratque publicè Baptismum.

Tunc verò cætum vivida & intrepida voce, de CRUCE, ut fervidus CRUCIFIXI Amator compellans, magnos animorum motus excivit. Sed dicere pergentis è cathedrâ sua facundi Ecclesiastæ spiritum interclusere ab carnificibus adactæ per costas, & pectus in humeros usque lanceæ.

Ceteri eodem intereà mortis genere occubère. Omnium corpora vento cælique injuriis exposita brevî aruerunt. CRUCIBVS suis per partes delapsa, à Christianis ad CRUCIFIXI honorè, cultumque pro CRUCIFIXO morientium collecta sunt.

Historica Relatio de Crucifixis Iaponia Ludovici Frois, Riccius in Triumpho Crucifixorum. Richeomus in pictura spirituali lib. 3. tabula 7. Gualter in tabula chronol. Gravina in voce Turturis cap. 20. Petrus Biverus in Sanctuario Crucis, par. 20.

V.

AMATOR CRUCIFIXI

Militibus pro fide & religione Christi pugnantibus, Crucifixi effigiem extollit, ut animos eorum attollat.

Huius exempla affectus in omnibus penè Catholicorum præliis
K
CONTRA

125.
PATRES
TRANSIL-
VANI,

contra infideles, aut hæreticos sunt ob-
via. Celebratur ante aliquot lustra, quod
acciderat in Transilvania, tempore
Principis Sigismundi Batorii, juvenis
animosissimi, & Catholicissimi. Hic
Anno M. D. xcv. bello petitus à Sina-
no Bassa, & centum millibus Turcarum,
hostem acie fudit, juvenis senem auspi-
ciis CRUCIFIXI, ipse quinquaginta tan-
tum millibus cinctus.

Aderant è Societate IESV Viri pii, &
CRUCIS propugnatores bellantibus in-
terque fumum ac ferreas pilas horta-
bantur militem, CRUCIFIXI effigie ad
fiduciam sublatâ. Quod plurimum facit
ad victoriam in bellis Christianorum.

*Historica Relatio de rebus Transilv. Synopsis So-
ciet. primi sæculi.*

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

*Dilecti sui in Cruce pendentis effigiem
ulnis stringens, libenter vitam pro
illius fide ponit.*

126. **A**NNO M. D. LXX. triginta novem
PATRES de Societate IESV, apud Palmam
Brasiliæ Ca- unam de Fortunatis insulis, cum in Bra-
techistæ. siliam, CRUCIFIXI amore, fidei Chri-
stianæ propagandæ causâ proficisceren-
tur, in Oceano, à Jacobo Soria, sectæ
Cal.

CVLTRIX CRVCIFIXI. 219

Calvinisticae pirata interfecti sunt, ita exclamante: *interfice, interfice, quoniam ad prava dogmata disseminanda Brasiliam petunt.* Ex iis,

BENEDICTVS CASTRIVS Lusitanus CHRISTI CRVCIFIXI imaginem complexus, tribus primùm glandibus ictus, deinde ferro punctim cæsimque excarnificatus, demum in mare deturbatus est.

BENEDI-
CTVS CA-
STRIVS.
Lusitanus

*Petrus Diaz Epist. propria inter Indicas Mas-
sei. Scot. in vita Borgia lib. 3. cap. 30. Iarric. to-
mo 2. lib. 1. cap. 25. Vasconcell. pag. 503. Surtius
Comm. ad An. 1571. Florimund. de Orig. her. lib. 6.
cap. 13. Bosius Sig. 27. Bencius de U. Mar. lib. 30
p. 6.*

VII.

AMATOR CRVCIFIXI

*Videns in Cruce sanguinolentum Chri-
stum, paratus est fundere pro illo
sanguinem suum.*

IN consortio triginta novem paulò ante laudatorum CRVCIFIXI pugilum fuit DIDACVS ANDRADA Sacerdos, Lusitanus, qui aures dabat confitentibus: at, cum pugionibus confossus jactaretur in pelagus, dicebat animosè: *Fundamus sanguinem pro CHRISTO, qui pro nobis in CRUCE fudit suum.*

127.
DIDACVS
ANDRADA
Lusitanus.

Epist. Ind. Iarricus. Vita B. Borgia.

VIII.

AMATOR CRUCIFIXI

Moribundus digitos in Crucis formam componit, ut mortuus quoque se Crucem ferre velle ostendat.

128.
CONSAL-
VVS DE
TAPIA
Hispanus.

ANNO M. D. XIV. CONSALVVS DE TAPIA Hispanus, dum viriliter in CRUCIFIXI honore apud Indos, illorumque salute procurandâ versaretur, in Cinaloâ Mexici Provinciâ, Ethnici hominis Douropæi operâ est extinctus. Is odio Christianæ fidei, quam suis ritibus, vitiisque adversam videbat, quatuor inducit Indos ad necem Consalvo inferendam, ratus eo sublato, Christianam simul fidem tollendam: nempe, interituram hanc, mortuo ejus prædicatore indefesso.

Indi captato tempore, sub vesperam, Consalvum, cum se in cubiculum recepisset, ac B. Virginis coronam recitasset, aggrediuntur, sed fraudulenter, ut Iudas CHRISTVM. Siquidem ad osculandam manum progressi, caput ejus clavâ contudere: mox alii abscidere ferro. Tum omnes cranium potu plenum inter epulas circumtulcrunt, objurgationum vindictâ, quibus eorum crapulam ante perstrinxerat.

B. achium

IMITATRIX CRUCIFIXI. 221

Brachium autem dextrum, cujus in manu duos digitos CRUCIS in modum conformaverat moribundus Amator CRUCIS, conati abscindere, non potuerunt. Postero die inventum est à Christianis corpus verso in terram pectore, eodem brachio, quod rescindi nequiverat, & in eo digitis, in CRUCIS formam aptatis, è terrâ in altum sublato, quasi ad tum etiam sustinendum CRUCIS vexillum, & Gentibus CRUCIFIXVM præferendum parato.

*Annua Societ. Mex. Ind. Oct. 1594. Benzoni
lib. 1. cap. 9. Iacobus Damian. in Synop. Societ.
lib. 3. cap. 32.*

IX.

AMATOR CRUCIFIXI

Vt expeditior sit ad Crucis predicationem, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, conficit in ignem, quæ, ut thesaurum asservaverat, & habebat carissima, scripta Philosophica & Theologica, ad subtilitatem spectantia.

AD hoc CRUCIFIXVS ipse aptavit
JACOBVM MARTINVM è CRUCE
colloquens. Is Theologiæ Liniano in
K 3 Gym-

129.
IACOBVS
MARTINVS
Hispanus.

Gymnasio dabat operam Societatis IESV Scholaris, homo nervosus ac valens. Ante CRUCIFIXVM prostratus, quid à se maximè exigat? quærit supplex. Hominum salutem respondente CHRISTO de CRUCE, simul Scripta omnia inijcit flammis. Mox levior, Spiritu impellente, & obedientiâ concedente, cum Sociis aliis in nemora se contulit, Indis salutem allaturus & CRUCIFIXI gratiam.

Inspirata ei & reliquis solertia multiplex est ad animarum culturam, quæ difficilior est, quàm corporum. Nativus illas vinciebat stupor: nec emicare sinebat obtusas: nec ab auribus ad intelligentiam trahere documenta salutaria CRUCIFIXI permittebat ruditas. Itaque data opera, ut ingenioso commento, oculis offerentur res fidei prius per imagines quibus faciliùs rudibus veritas insinuatur. Id ita fiebat:

Pingebatur CHRISTVS, ejusq; CRUX, lex, & quæ eò spectant alia in tabulis: inferni tormenta, quæ infideles ac inimicos CRUCIS CHRISTI manent, eorumq; horrorem minio expressæ flammæ ingerebant: cæli gaudia esculentorum & poculentorum grata species insinuabat. Ita multi ad CHRISTVM sunt adducti.

Epist. Indica Parva. Synopsis Societ. Iacob Damia. lib. 5. cap. 22.

X.

AMATOR CRUCIFIXI

Nudis plantis, aut scrupulis intra calceos sparsis supplicatum vadit ad Crucem.

IOANNES BERGMANNVS Belga, qui 130.
 juvenis in Societate JESV, cum fam- JOANNES
 mâ Sanctitatis est mortuus, & vitâ ty- BERGMAN-
 pis vulgata longè latèque celebris et- NVS, Belga.
 jamnum in hominum notitiâ vivit,
 cum adolescens esset annorum quinde-
 cim, quolibet die Veneris sub tenebras
 vespertinas, ne à quoquam nosceretur,
 plantis nudis, viam, qua S. CRUCI sup-
 plicatur, per varia Stationum loca, in
 memoriam Sacratissimæ PASSIONIS, ob-
 ibat. Quod, ut religiosius secretiusque
 faceret, soleas infernè succiderat calceis;
 ut dum plantas Soli, saxorumq; asperita-
 te affligeret, tectis supernè pedibus, ob-
 viorum oculos falleret.

Virgilius Ceparinus in Vitâ p. I. pag. 14.

DECAS XIV.

I.

AMATOR CRUCIFIXI

*Dat secum in lectulo noctu Crucifixo
locum convenientem : & , cum
illo indormiscit.*

131.
JOANNES
BERGMAN,
Belga.

IOANNES, quem laudavi proximè,
cùm esset Societatis IESV Religiosus
Scholasticus, hanc habuit, erga
CRUCIFIXVM, quem amabat delicatè,
exercendæ pietatis consuetudinem.
Priusquam in lecto se componeret, di-
versas lecti partes his illisve Sanctis
Protectioribus suis adsignabat. Inter hos
medium collocabat ad lectuli pedes
CHRISTVM CRUCI affixum. Ut nem-
pè, mane tam piæ Imaginis recordatio-
ne experrectus, ad CHRISTVM hono-
randum, exosculandosque Sacratissi-
mos ejus Pedes commoneretur.

Virgil. Cepar. in Vitâ par. I.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

*Mane exosculatur Crucem, illi advol-
vitur, & ad illam suspirat.*

IDEM Religiosus juvenis, dum com-
muni viveret contubernio in Colle-
gio Romano Studiosus Philosophiæ,
quamprimum lectulo eripuerat sese, li-
gneæ CRVCIS icunculæ advolutus ca-
lidissimis identidem suspiriis eam exos-
culabatur. Atque inter vestiendum ar-
dentioribus etiam pectus inflammabat
(erga CRVCIFIXVM haud dubiè) affe-
ctibus.

132.
JOANNES
BERCMAN,
Belga.

Virgil. Cyprianus in Vita.

III.

AMATOR CRVCIFIXI

*In Crucifixum vibrat sententiolas, ut
amoris flammulas.*

ACCIDIT aliquando, ut JOANNES
ille, quem imitandum propono,
falsus quiete sui contubernalis (quem
exisse cubiculo crediderat) contentiore
inciperet voce breves aliquas Scripturæ
Sacræ sententiolas vibrare (in CRVCI-
FIXVM arbitror) sed Socii mox animad-
versâ præsentia, virgineus scilicet pu-

123.
JOANNES
BERCMAN,
Belga.

doi deprehensum perfudit coëgitque moderari voci.

Aliàs, quàm citò se in pedes erexerat, genibus protinus curvatis dimidiatò horæ quadrante, tanta spiritus dulcedine precabatur, ac si noctem totam orando extraxisset. Mox solùm terens osculis, mox animum suspirationibus erigens, mox aliis mentem accendens artibus.

Virgil. Cepar. in Vitâ.

IV.

AMATOR CRUCIFIXI

In vitæ extremo Crucifixum, affatur, osculatur, amplectitur.

134.
JOANNES
BERCMAN.
Belga.

COMMENDANDVS maximè est Religiosis modus recolendi CHRISTVM PASSVM, & honorandi CRUCIFIXVM circa vitæ mortalis terminum, qui consistit in signis amoris ac venerationis, inspiciendo CRUCIFIXVM, osculando, amplexando eiùque peculiari affectu se commendando.

In quo eximius fuit BERCMANNVS, qui ut Mortem paulatim ad se adrepere sensit, mox CRUCIS sigillum dari sibi poposcit. Quod allatum Rosario Mariano è collo detractò religiosè rediit: nam suspensâ è cervice Coronâ Virginis

IMITATRIX CRUCIFIXI. 227

ginis DEIPARÆ dormire erat solitus. Tum Regularum Societatis petito libello, illum CRUCI Rosarioque applicuit, ac tria hæc, instar preciosi fasciculi simul manu complexus, insolitâ verborum hilaritate dignissimam conscientiam suam vocem emisit: Hæc sunt tria mihi carissima: cum his libenter moriar.

Idem Adolescens cum infatigabili lecto, tanquam in agone cum hoste generis humani concertaret, & alii circum lectum genibus nixi preces funderent, alii ipsum lectum, cubiculum aquam sacram lustrarent, ille CRUCIS sigillum, Rosarium, Regularum Codicem & Reliquiarum thecam manu corripuit: Hæc, inquiens, arma mea sunt, singulaque seorsum intuitus, suam cuique singularem laudem attribuit.

Idem loquendi facultate destitutus jacuit supinus, sensibus integris, nec impeditis, defixis in CRUCEM, Rosarium, & Regularum Libellum oculis. Quæ tria ambabus tenebat manibus, ita posita in conspectu, ut attactis, erectisque genibus, ne à visu abessent, sustentaret manus. Conatus CRUCEM propius admovere, cum à proximis iuvaretur, admotam ori religiosissime dissuaviabatur.

V.

AMATOR CRUCIFIXI

Moritur defixis in Crucifixum oculis.

135.
JOANNES
BERCHMAN
Belga.

TANDEM optimus ille Religiosus die
VENERIS CRUCIFIXO Sacra, oculis
in CRUCEM, quam manibus unâ cum
Rosario, Regularumque libello comple-
ctabatur, defixis, pronunciatis Sanctissi-
mis IESV ac MARIÆ nominibus, confe-
cto feliciter peregrinationis suæ curri-
culo, innocentem animam placidissimè
reddidit Creatori suo, annos natus duos
& viginti, menses quinque. Anno CHRIS-
TI CRUCIFIXI, M. DC. XXI. Augusti
XIII.

*Virgil. Cepar. in Vitâ Ital. Herman. Hugo Latin.
Imago primi Saculi Societ. p. 28. 171. 594. 881.*

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

*Crucem parat, ex quâlibet, quæ ad ma-
num est materiâ, ut memoriam
Crucifixi renovet.*

136.
JOANNES
BERCHMAN
Belga.

NON est ullus tam rerum omnium
egenus, qui memoriam CRUCI-
FIXI Domini restaurare non possit ubi-
que in se, instrumento ad id idoneo, si
imitetur juvenem, aliquoties in exem-
plum Amantium sincerè CRUCIFIXVM à
nobis adductum, BERCHMANNVM Bel-
gam;

AMATRRIX CRUCIFIXI. 229.

gam; in cujus Oratoriolo toto contu-
berii separati tempore, quod est biennii
ab egressu Noviriatus in Societate, non
alia CRUCIS imago fuit, quam è vili,
rudiq̄ue ligno. Atramento puta, altitu-
dine palmi, antequam orabat prostra-
tus.

In Vita par. 2. f. 140.

VII.

AMATOR CRUCIFIXI

*Si est pictor, sculptor, aurifex, plastes,
gemmarius, pingit, sculpsit, fingit,
format in artis suæ materia Crucem,
aut Crucifixi effigiem, à quâ in vita
suæ extremo nunquam vultum aver-
tit, ut Crucifixi memor, illiq̄ animo
affixus moriatur?*

ANNO M.D.LX. mortuus est Nea-
poli circiter Idus Julias ANTO-
NIVS LEGA in Societate JESV Coadju-
tor temporalis, cujus hoc est in Histo-
riâ nostrâ elogium.

137.
ANTONIVS
LEGA Co-
adjutor
Aurifex,
Italus.

ANTONIVS LEGA Neapolitanus ætate
jam grandis, sed vegetâ vividâq̄ue se-
nectâ, AVRIFEX (hanc enim artem pro-
fitebatur) insignis, quarto ante anno ad
consilia CHRISTI CRUCIFIXI, & per-
fectionem Evangelicam fecerat gra-
dum, postquam Divinis præceptis in
omni

omni vitâ paruerat. Magnificabat jam tum unus è populo: cumque quicquid artificio suo quæreret, pauperibus quæreret, vulgò INOPVM PATER appellabatur. Quo diutiùs in actione virtutis, exercitus fuerat, hoc studiosiùs disciplinam capeffivit potiorem. Religiosarum legum nemo tironum adolescentum puncta & apices diligentius ac tenaciùs observabat.

Obedientia ad nutum Moderatoris mirè volueris & accurata erat: navus idem industriusque, & indefessus, & nunquam cessans. Cùm domestici munus obiret procuratoris gratissimum domi forisque humilitatis odorem, & caritatis spargebat.

Christophorus Mendoza, qui Neapolitanum regebat Collegium, nunquam in eo, quamdiu vixit, vel levissimum commoti, aut impatientis animi signum perspectum refert. Neque uno contentus in ministerio & labore simplici erat: verùm, quicquid se offerret, ad id alacriter ac promptè admovebat manum. Si quis domi decumberet, primus ille invifere, solari, assiduus esse, ministrare paternâ constantiâ, sensu ac suavitate maternâ.

Neque id mirum in eo, qui vetus illud juvandi pauperes institutum severioris aggressione vitæ non intermiserat,

CVLTRIX CRVCIFIXI. 231

rat, sed absolutius, sanctiusque obtinebat. Delicias illi ferebant esse inter pauperes agere, in publicâ hospitali domo versari. Ad hanc, & quoties otium se dabat, rapim excurrerebat, & diebus quibusque festis per otium, se onustus rosariis libellisque catechisticis conferebat. Quorum ille munusculorum largitionem, ad iuvandam destitutæ ab omni subsidio gentis pietatem, laudante inventum, iuvanteque Rectore excogitabat.

Eadem munuscula, ut opportunum rebatur, aliis quoque pauperibus, ac per urbem mendicantibus dividebat, addens piam adhortationem, ut uterentur, ac rationem, quâ salutariter uterentur, ostendens. Vagis hominibus libentissimè tectum, ac dominum, apud quem alerentur, & opus facerent, conquirebat; ut hâc unâ re cum fame enectis provideret corporibus, tum viam sceleribus infinitis obstrueret.

Miseras quoque norat familias, ad easque siquid è tenuitate mensæ domesticæ reliquiarum esset, quasi Pater providus sedulò collectum ipsemet sub pallio gestabat. Cùm totus in laboribus, DEI gratiâ perferendis, levandisque proximis esset, & acri pollens iudicio, vias ad id sedulò investigaret, si quæ vacua inciderent tempora, vel ad agendum

dum cum DEO confugiebat, vel quidam piarum pingebat imaginum, exprimens ad eò feliciter pietatem, ut anni sui formare exemplum videretur. Præcipua fuit erga CRUCEM, & CRUCIFIXUM, quippè, utriusque AMATORIS peculiaris, devotio.

HISCE in studiis sexagenarius juvenili animo versans, post aliquot dierum febrim, nihil aliud ante oculos, quàm CRUCEM Domini, quàm ipsemet finxerat, nihil in ore habens, quàm ejus sanctissimum nomen, ad æterna tabernacula à pauperibus præcipuè recipiendus, felici morte iter intendit. Funus ejus Neapolitanorum multitudo ingens celebravit: sparsasque, post ejus obitum, & aucta virtutum singularium fama ad Patrum superstitem auctoritatem valuit. Ac Religiosi è Benedictinorum nobili familiâ, qui ad S. Severini degunt, ut amorem observantiamque suam erga Antonium demortuum declararent, cuncti Sacrum uno die, templo ritu funebri præparato, pro ejus animâ fecerunt.

*Francisc. Sacchinus Histor. Societ. pat. 2. l. 4.
à num. 38.*

AMATOR CRUCIFIXI

Mortem sibi pro Christo crudeliter inferendam, manibus in Crucis formam pectori appressis, velut palmam complectitur.

A NNO M.D.XCIII. periculosa fuerunt hominum Societ. JESV, ad fidē Catholicā conservandā & promovendā in Galliā excursiones. Experti id sunt inter alios, Jacobus Salesius, de quo in superioribus, proprio titulo, & GVLIELMVS SALTAMUCHIVS, ejus Coadjutor, patriā Arvernus, opificio Sutor, annos octo & triginta natus, è quibus duodecim Societati dederat. Utrumque Turnone peremerunt Calvinistæ carnibus per diem Sabbati religiosè abstinentes. Et Pater quidem sclopo & ensibus, Coadjutor verò pugionibus, transmissi sunt ad Palmam optatam. Quam ne solus obtineret ille, morientem complexus Salesium Gulielmus, obtestatus est, ne se Martyrii expertem desereret. Obtinuit, quod postulabat, & pugionibus confixus, inter moriendum, velut acceptā Palmā, manus in CRUCIS Formam pectori appressit, his se vocibus excitans: *Patere caro, patere ad tantillum temporis.* Atque ita ad cælum evolavit

138.
GVLIELMVS SALTAMUCHIVS Gallus, Coadjutor, Sutor, Gallus.

CRVCIS amans spiritus.

Oddo Giffey peculiari libello de his duobus Annua Societ. 1593. Provin. Lugdun. Benz on. l. 2. c. 9. Gualter. in Tab. Chronog. Andr. Saussain in Supplem. Martyr. Gall. Iacobus Damian. Synopsi Societ. lib. 5. cap. 30.

IX.

AMATOR CRVCIFIXI

Christum in Passione alapis crudeliter caesum considerans, gaudenter pro eodem colaphos patitur.

139:
PETRVS
FERDI-
NANDVS
Lusitanus
Coadjutor
Faber lignarius.

ANNO M. D. LXXI, duodecim e Societate IESV in itinere Brasiliensi, à Joanne Cadovillio Gallo Calviniano, pro CRVCIFIXI religione Catholicâ, quam disseminatum ibant in Brasiliam, interempti sunt. Hos inter fuit

PETRVS FERDINANDVS, Coadjutor, arte faber lignarius, qui cum colaphis cæderetur, palpebrisq; distensis, paxillimento subjicerentur, aiebat, ad Dominum PASSVM converso sermone: *Quo meo merito mihi tribuis, ut pro te patiar Domine IESV?* Tum post multas injurias ad CRVCIFIXI exemplum fortiter perpeffas, projectus in altum merfus est.

Leo Henricq; Epist. propria inter Indicas Maffey Andr. Scot. in Vita Francisci Borgia libro tertio cap. 11. Iarric. tom. 2. rer. Ind. lib. 1. cap. 26. Surins ad A. C. 1571. Vasconcell. p. 504. Benz

AMATRIX CRUCIFIXI. 235

*Lon. lib. 1. cap. 9. Bencius lib. 3. de V. Martyr.
Jacob. Gordon. in Chronol. 1570.*

X.

AMATOR CRUCIFIXI

*Cubilis commoditatem Christi in Cruce
consideratione spernit.*

ANNO M. D. LXII. Sociorum in 140.
Indiam navigantium fervor fuit VINCEN-
peculiaris. Cum enim vulgari essent TIVS SA-
cœpti morbi in navibus, exercendæ SO- LERNI-
ciis charitatis quæstiosa fuit, aperta pa- TANVS
læstra, quam ingredi passim cupiebant. Frater
Pessimè agebatur cum eâ navi, quam Italus.
Tigrim vocabant; in quâ nullus erat
Sacerdos, qui morientium expiaret,
Deoque commendaret animos. Hâc re
in aliis navibus cognita, certatim sibi
eam provinciam deposcere cœperunt
Patres. Sebastianus inprimis Confal-
vius, ac

VINCENTIVS SALERNITANVS unius
ex Fratribus, cum suo Navarcho, ut
potestatem faceret eo transeundi, pluri-
mum contenderunt. Tergiversatus est
initio, quia valdè id prætendebat, quod
præter mancipia, rectoribus amplius
octingentis conferta Tigri, rebus indi-
gente omnibus, & amplius trecentis ja-
centibus ad certam pestem pergerent:
deinde tamen abeundi potestatem fecit.

Ire

Ire parantibus , Judæus haud malus homo ad Vincentium conversus , Quid eò itus , inquit , ubi ne ad cubandum quidem locus patebit ? At Vincentius , Qui norunt , ait , CHRISTVM IESVM in angustissimâ CRUCE , ipsorum causâ , cubile sibi optasse , de suo cubili , ubi de ejus agitur gloria , non laborant. Quæ vox Judæum rubore implevit.

Et sanè mirus totâ navigatione fuit hujus Fratris religiosi ardor , qui ut fineretur in Tigrim transcendere , flexis coram genibus , junctisque manibus ex navarcho rogaverat. Nec illud omittendum , quod , ut appendicem atrexi Amatori CRUCIFIXI mutandum. Ne qua esset famæ dubiæ palàm in navi fœmina laborabat : & libros impudicos è manibus habentiû amovebat. Quotquot potuit involare , projecit in mare. De mulierculis duabus cum rescisset , nunquam abstinit clamoribus , quoad usque arcta custodia inclusit.

Francis. Sacchin. histor. Societ. par. 2. lib. 6. num. 161.

DECAS XV.

I.

AMATOR CRVCIFIXI

*Ad ostensam sibi in fine vitæ imaginem
Christi Crucifixi, rubore suffundi-
tur; & pedes ejus exosculatur.*

ALPHONSVS RODRIGVEZ Hispanus, cum in matrimonio plures annos vixisset, eo jugo demum, obitu conjugis, liber, Societatem JESV ambivit, in quam admittus, anno ætatis suæ xli. eodem ipso Majoricam missus est, ubi reliquam deinceps ætatem in laboribus domesticis exercitam, quippè Coadjutor temporalis, atque imprimis in Janitoris munere, quod xxx. annos sustinuit, usque ad vitæ suæ annum lxxxvii. transegit. Rarâ fuit tolerantia, ut CRVCIFIXI Amatorem agnoscas: injurias ærumnasque, quæ totis xlvii. annis plurimæ obvenerunt, pertulit patientissimè; adeò, ut nullum unquam minùs pacati animi signum visus sit dedisse.

Sæpissimè ei Virgo DEIPARA cum Filio apparuisse dicitur. Utrique profectò fuit perfamiliaris: utrumque vocabat suos lepores, suos amores, suas delicias. Cum utroque familiariter tractabat:

141.
ALPHON-
SVS RODRI-
GVEZ
Coadjutor,
Hispanus.
Janitor.

bat : tantâ animi teneritudine , & sensu de iis agebat, ut eisdem affectus in circumstantes suscitaret. Anno vitæ extremo semper decubuit, tresque ultimos menses, ab uno se latere versare se profusus non valuit, multis doloribus, iisque acutissimis, calculi præsertim cruciatus. Sed ille animo semper excelsio, majores etiam à DEO poscebat; & frequentissimè iterabat verba illa, quæ ab iisdem doctus erat dicere: JESVS-MARIA, dulcissimi Amores mei! O utinam patiar! O utinam vestri amore moriar!

Sacro inunctus oleo, alienatus à sensibus in profundissimâ quâdã ecstasi perstitit ferè per triduum. Quo tempore auditus est nihilominus frequenter dicere: O dulcis JESV! O dulcissima Mater mea! Eo exacto, cum SACERDOS CRUCIFIXI imaginem jam morienti applicaret, ille quasi somno excitus, sustulit oculos: &, quæ prius semper palluerat: faciem, nunc specioso rubore suffusam. Tandem CHRISTI pedes religiosè exosculatus, invocatoque JESV, placidissimè expiravit, die XXXI. Octob. anni M. DC. XVII.

Compendium Vitæ B. S. Imago primi Sac. Societ. lib. 1, cap. 5.

II.

AMATOR CRUCIFIXI

*In flabello Crucem depingi curat, ut
semper versetur ob oculos
flabellifero.*

HAc illecebrâ utuntur apud Japones & Sinas Socii, ad fidei Christianæ mysteria commodius explicanda, & suavius instillanda illarum gentium Magnatibus, quibus multus est, non modò ad auram ciendam, sed ad quendam etiam cultum urbanitatis flabello-
rum usus.

142.
PATRES
Japonum
Sinarumq;
CATECHI-
STAE.

ANNO M. D. LXIII. in Japoniâ Summitanda Regulus, cum libenter se disputationem de lege divinâ audicuum ostendisset, Concionator noster Europæus è Societate JESU, majorem divina cognoscendi mysteria cupiditatem iniecit donato Flabello, Sanctissimo JESU inscripto nomine, CRUCE supernè, infernè clavis appictis. Id ut Regulus vidit, quid argumenti, quid illud litterarum sit, percunctatur: opportunèque Joannes Fernandus Catechista, qui Japonicè callebat optimè excipit. Idcirco id ei se flabellum dedisse, ut Signum, ac nomen, quo erat inscriptum penitus in corde sibi imprimeret.

JOANNES
FERNAN-
DIUS LU-
SIANUS.

Deinde, ubi Fernandus ordine Scholam

Iam de principiis rerum ac Religionis habuit, sui memor flabelli Regulus, expressa in eo signa, ut tandem sibi explicaret, rogavit. Tum inter cætera de SANCTA CRUCE sermonem exorsus Fernandius, quid ex eâ opis & beneficii Constantinus Imperator accepisset, memoravit. Quæ Regulus, ut apparebat, satis percepit omnia. Et voluit in flabello, quo utebatur, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & versiculum : *Per SIGNVM CRVCIS de inimicis nostris libera nos DEVS noster*, adscribi. Tum quid esset Quadragesima, quæ tùm celebrabatur, multa que prætereà id genus explicari.

Die postero, è suis familiaribus nobilem virum, eumque Christianum, Ludovicum nomine, urbis Omuranzæ Præfecti fratrem ad Cosmum Societatis superiorem iis in partibus allegans, nunciare jubet, se quidem jam animo Christianum esse : si que virilis stirpis, Deus potentem faceret, ad Imperii contra tumultus, qui suboriri possent firmamentum, palàm se pro Christiano gesturum.

Francisc. Sacchin. in Societ. Iesu Hist. par. 2. lib. 7. num. 136.

III.

AMATOR CRVCIFIXI

Erudit suum Catechumenum, instigatque ad portandum Crucem Christi, antequam professione plenè sit Christianus.

HAc doctrinâ imbutus, quem antea laudavi Sumitanda Regulus Japon, cum nondum Sacro tinctus esset larice, rogavit, post superius recensita, ut liceret secum veneranda CRVCIS ferre signa, suasque res CHRISTO Domino commendare. Quod cum Cosmus utrumq; respondisset plurimum sibi placere, continuò Omuram reversus, auream fingi CRUCEM, eamque propalam, in medio nationis pravæ ab collo pendentem gestans germanû suum Regem Arimæ invisit. Rex eam rem haud quaquam tulit molestè. Imò, cum antè per se ad id propensus tum laudibus, quibus Sumitanda Christianam legem deprædicabat, incitatus, legatos ad Cosmum & dona misit, postulans, ut in suo quoque regno promulgari legem divinam vellet.

I43.
SOCII Japonum
Magistri.

*Historia Societ. 2. p. Franc. Sacchin. lib. 7
num. 136. 137.*

AMATOR CRVCIFIXI

*Instruit sibi commissum alumnum , ut
Crucis signo, velut superinfusâ gelidâ,
æstum libidinis in animâ extinguat.*

I 44.
SOCI
PANOR-
MITANI.
Mahume-
tanorum
Instituto-
res.

ANNO M. D. LIII. in Siciliâ peræ-
statem ingens in Mahumetanis mâ-
cipiis ad sanctam fidem ardor exarsit,
ab mahumetano nobili sparsis igniculis.
Hic donatus Panormitano Collegio
Societatis IESV, post triennii hortatus
ac preces, tandem nullâ re magis, quam
assiduis Sociorum exemplis, animum
ad Catechismum adjecit.

Is deinde, cum multa audivisset de
vi virtuteque Salutiferæ CRVCIS, illam
formare didicit, & usurpare frequenter:
tum verò adversus diaboli acres impe-
tus, ac spectra deformia, vim illius ad-
mirandam expertus, statim factus de
Sanctæ CRVCIS compertam sibi virtu-
tem in Christianæ Religionis testimo-
nium celebrabat: persuasitque gentili
suo, fœdâ ancillæ consuetudine impli-
cito, ut si ad flagitium quodcumque
incitaretur, nihil dubitans, CRVCF sibi
frontem ac pectus, Christiano ritu mu-
niret: quod ipse à Patribus edoctus
erat, & experienciâ didicerat.

Non

CVLTRIX CRVCIFIXI 243

Non fuit inanis hortatus. Cum inveterata consuetudo, & Satanas hominem ad amicam retraxisset, is in ejus conspectu, recordatus repente Catechumeni salutare consilium, non prius ad frontem ac pectus horrendum Spiritualibus nequitiis SIGNVM CRVCIS formaverat, quam veluti superinfusâ gelidâ, toto corpore obrigescens, patefacto statim mulieri miraculo, & mox per urbem vulgato, ipse cum aliis ad vitalem fontem accessit.

Nicol. Orland Hist. Societ. to. 1. lib. 13. num. 21. 22.

V.

AMATOR CRVCIFIXI

*Docet neophytos, Crucis virtute vim,
violentiamq; Cacodæmonum
frangere.*

ANNO M. D. XLVIII. cum è Societate JESV Presbyter HENRICVS HENRICIVS, explanando Religionis Christianæ capita, suis auditoribus affirmasset; si quis ex iis veram, accensamque fidem possideret, juberetque CHRISTI nomine ex obsesso corpore abire Dæmonium id protinus abiturum. Id avidè arripiens Nophytus veniensque in certamen cum Jogue (quod Brachmanum genus est) sine ullâ dubitatione

145.

HENRICVS
HENRICIVS
Lusitanus,

ratione recepit se in CHRISTI nomine
atque virtute, de humani corporis do-
micilio, quod Jogue ille non posset,
Dæmonem expulsurum.

Sanè, animadversum est, ex quo colli-
in eis regionibus cœptus est CHRISTVS
CRUCIFIXVS, imminutam ac debilita-
tam esse vim Dæmonum. Nam antea
tantus erat eorum terror, atque licen-
tia, ut nemo solus ad proximum litus
auderet accedere spectrorum immani-
tate deterritus, quæ piscatorum inter
cymbas igneis sese formis objiciebant,
At posteaquam illata in ea loca CRUX
est, desierunt monstra illa hominibus
infesta esse.

Quod olim virtuti CRUCIS Serenus
tribuebat Abbas. Quia cùm disputat
apud Cassianum, quæ causa sit, cur
Dæmones, quæ superiore tempore in-
ter Anachoretarum duntaxat initia tan-
tæ fuerint feritatis, postea non eandem
suo tempore haberent vim, colligit ad
extremum, virtute CRUCIS etiam deser-
tâ penetrante, & ubique ejus gratiâ co-
ruscante, retusam fuisse eorum nequi-
tiam.

Nicod. Orland. Hist. Societ. lib. 8. n. 136.

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

*Gaudet in ædium vestibulis Crucem ad-
versus Dæmones collocari; eoq̄₃ spem
de iis victoriæ reportanda concipit.*

ANNO M. D. XLIX. cùm FRAN-
CISCVS XAVERIVS Malacæ mora-
retur desiderium ei Japonicæ profe-
ctonis acuit, quod inter Japones dice-
rentur in insulâ quâdam Sacrosanctæ
CRUCIS insignia in honore jam esse:
eaque passim ab incolis in ædium sua-
rum vestibulis ad fugandos Dæmones
excitari. Quo maximè præsidio uti so-
litos Lusitanos adversus Dæmonum
formas, & tetra monstra cognoverant.

Quippè in oppido quodam, cùm de-
serta quædam spectris Dæmonum do-
micilia, & terricula mentis infesta Lusit-
anis mercatoribus rei totius ignaris ad
ad hospitium Japones adsignassent, eo-
rum edocti periculo exemploque sen-
serunt, nihil esse adversus ludibria,
terroresq; Dæmonum CHRISTI CRUCE
præsentius. Quocirca spe conceptâ
Xaverius crebræ ex Satanâ victoriæ,
quando eò jam tot essent venerandæ
CRUCIS invec̄ta trophæa gestiebat
quàm primum in ea loca migrare.

146.

FRANCIS-
CVS XAVE-
RIVS Na-
varræus.

VII.

AMATOR CRUCIFIXI

*Ad omnem corporis animiq³ infestationem, in dispositionemq³ Crucis signum adhibendum, ut averrunca-
mentum, suadet.*

147.
PATRES
Iaponum
Catechista.

ANNO M. D. LIV. in Japonia non modica ad Christum Ethnicorum accessio est facta, Domino cooperante, & Evangelizantium sermonem perspicuis signis atque miraculis confirmante.

I. Septuagesimum jam diem exercebatur à Satana Japon, & erat infelici faucibus arctè pressis, esculentibus omnibus ac poculentis iter obstructum. Longam inedia, & ademptam vescendi facultatem, certus sequebatur interitus, cum porrectam à Christianis aquam **CRUCIS SIGNO** lustratam, unà cum pronuntiatione Dominicæ precatationis Ethnicus hausit, & malum continuo Dæmonem, qui ejus se faucibus insinuarat, abegit. Tum demum patefactum est iter escis, & sumpto pabulo recreatus ægrotus.

II. Paralyticus, qui valetudinis causâ multa prodegerat, variisque ad eam recuperandam superstitionibus erat usus, aquâ **CRUCE** signatâ epotâ momento convaluit.

III. Eo-

III. Eodem morbo conflictatus alius, eadem adhibita curatione levari protinus cæptus est.

IV. Alium, quem nefarius spiritus afflictabat, & jam elinguem, mutumque reddiderat, cum res suas omnes atque fortunas in placandam Idolorum iram temerè profudisset, SIGNO CRUCIS Catechista admoto, protinus ab infesto Dæmone liberavit, loquentem reddidit, & sibi undique restitutum sacris undis intinxit.

V. Illud admirabilius, quod quidam, cum magnis ex febribus laboraret, jussus à suo instructore Catechista, CRUCIS se aliquoties SIGNO expiare, sanus illicò discessit. Postea, cum preces idolo, prava consuetudine ductus, ne febrium rediret ardor, adhibuisset, denuo jactari febribus cæptus est. Qui, cum rem secum tacitus reputaret piaculum, sensit, & justo dolore suscepto, recurrit ad Patres salutis suæ auctores. Ab his eodem SIGNO CRUCIS se iterum expiare jussus, iterum convalescit. Quid illustrius ad commendandam CHRISTI fidem, veramque religionem, & in eâ virtutem incredibilem CRUCIS, cujus usu sacro tam admiranda patrantur.

Nicolaus Orlandinus Histor. Societ. tomo 1. lib. 14. num. 148.

VIII.
AMATOR CRUCIFIXI

*Monet milites, ut ante conflictum cum
hoste signo Crucis frontem muniant.*

148.
PATRES
Brasilum
Magistri.

ID fecit, Patrum Societatis doctrinâ
benè instructa heroina Brasilis, &
cessit ex voto. Cùm enim inter incolas
Piratiningæ, populosque finitimos ex-
citatum esset bellum, Piratininganæ
autem simul in aciem exivissent, inopi-
natâ multitudine hostium exterriti, a-
nimos jam propè desponderant. Tum
Ducis uxor, virilis animi fœmina, de
more gentis comitata virum, nec ita
multo ante benè instituta in rebus fidei,
ac lustrata baptismo, percussos metu
milites cohortata est, uti salutari SIGNO
CRUCIS frontibus communitis impavi-
di ferrentur in hostem.

Factum, ut imperarat: tantisque in
hostem animis irruerunt, ut ingentem
stragem ediderint, reliquasque copias
partim ceperint, partim in fugam aver-
terint: nullis omninò è Piratininganis
desideratis, ac ne vulneratis quidem. Si
duos excipias spiculo transverberatos
(quorum alter extinctus est) qui piæ mu-
lieris consilium, & hortamenta contem-
nentes, frontem CRUCE non signaverât.

Nicol. Orland. Histor. Societ. lib. 14. num. 113.

AMATOR CRVCIFIXI

*Ad nudum pectus sub purpurâ, aeneam è
Cruce pendentis Domini, ac Dilecti
sui effigiem gestat; eaq; nudam car-
nem suam pungit, & cruciat.*

FAs mihi sit, in hoc numeroso Ama-
torum CHRISTI CRVCIFIXI consor-
tio è Societate JESV, nominare, tan-
quam unum ex iis, ALEXANDRVM Car-
dinalem URSINVM, qui absens intellecto
obitu Cardinalis Bellarmini, quem ipse,
ut Patrem, & Ducem vitæ observabat,
& quasi rarum sapientiæ virtutisque ex-
emplar intuebatur, sancto quodam æ-
stro incitatus, dedit ad Mutium Vitel-
lescum, Præpositum Generalem Socie-
tatis, litteras, quibus se penitus quoad
dignitatis ratio patiebatur, cum vetitus
esset eam dimittere, Societati dicavit;
votis eadem temperatione nuncupatis.
Quare vixit deinceps in Romanam So-
cietatis Provinciam adscriptus, vivens,
mortuusque Sociorum suffragiis recrea-
tus, quos ipse defunctos suis vicissim
suffragiis, tanquam unus ex illis prose-
quutus est. Itaque

ALEXANDER CARDINALIS URSI-
NVS, ex illustrissimâ illa Ducum Ro-

L 5 manorum

manorum familia, quæ Regum præcipuis affinitate conjuncta, tribus summis Pontificibus, qui ex eadem fuerunt gente, Purpuratorum plurimis, & strenuissimis bellorum Ducibus fuit illustrata, longè nobilior scientiâ ac virtute Joannem Apostolum Christo dilectissimum, candido, hilari, & pudico vultu, gestibus, actibus, moribus referebat.

Idem innocentia, castitatis, modestia, humilitatis, charitatis, patientia, mortificationis, poenitentia, contemptus sui, & mundi, integritatis, magnanimitatis, beneficentia, zeli, Prælati, Cardinalibus, Principibus æquè ac Christianis omnibus vivum erat exemplum ac speculum. Inter aulicos ac Principes vitam agebat religiosam, ut Religiosum ac Principem eum intuens dicere posses.

CHRISTO IESV, ejusque PASSIONI & CRUCI æquè ac DEIPARÆ Virgini imprimis addictus erat & devotus, quasi utriusque Benjaminus. Ætatem habebat florentem, naturâ sanguineus, succulentus, torosus, elegans, affabilis, eloquens, eruditus, ac simul candidissimi moris & pectoris, sine ullo oris cordisq; dissidio, maturus, gravis, integer, constans: JOANNEM, hoc est, filium Charitatum & Gratiarum meritò appellasses.

IMITATRIX CRUCIFIXI. 251

In jejuniis, DISCIPLINIS, ciliciis, etiam Cardinalis creatus erat assiduus, immò nimius. Congregationi Sodalium in Collegio Romano erectæ adscribi voluit. Ad eam frequens, etiam tempore Disciplinae, ut loquuntur, ventitabat, ac publicè in turbâ plebeiorum, cum illis acriter se diverberabat. Quod perpetim faciebat in pervigiliis B. Virginis, ut Ei se, suamque vitam sanguine suo offerret, ac consecraret.

Hospitalia invisebat, ægris serviebat, iisque cum eleemosyna cibum porrigebat, quin & pedes abluebat. Quæ circa tam illustri tantarum virtutum exemplo nonnullos hæreticorum compunctos, hæresin ejurasse & se S. R. Ecclesiæ reconciliasse constat.

Bracchiani, quod oppidum est Romæ vicinum, sedesque Ducum Ursinorum Sodalitatem è civibus sibi subditis, aulicisque crexerat, instar ejus, quæ visitur in Collegio Romano, in quâ ipse Præfectum, Concionatorem, Disciplinae Choragum, ceterorumque Pietatis officiorum antesignanum agebat.

Ad pectus nudum CHRISTI è CRUCIS pendentis effigiem gestabat æneam, claviculis in ea extantibus, carnemque pungentibus, qui proinde non rarò illi sanguinem eliciebant. Solebat autem ad vices manu admota pectori CRV-

CEM arctius illi apprimere, ut CHRISTVM CRVCIFIXVM penitius illi majori amore æquè ac dolore imprimeret.

Edidit Officium Passionis ac CRVCIS, indicium, tam elegantis ingenii, quàm ardentis in eam pietatis & devotionis. Item, Opusculum de CHRISTI CRUCE, & PASSIONE

Hac scribit Cornelius de Lapide, Commentario in Epistol. 1. Ioannis cap. v. p. 548. Eadem habet Philippus Alegambe in Bibliotheca Societ. IESV

X.

AMATOR CRVCIFIXI

Secesum meditationi Passionis Dominicæ idoneum sibi parat, eaq̃ per intervalla fruitur.

150.
ALEXAN-
DER URSI-
NVS CAR-
DINALIS
Italus.

LAVDATVS proximè Alexander Cardinalis Ursinus, Bracchiani in colle quodam, quasi in eremo secessum PASSIONIS Christi mysteriis insignitum (similem illi, quem S. Carolus Borromæus non longè à Mediolano crebrò adibat) adornaverat, ut per vices eò se reciperet, totusq̃ue CHRISTO CRVCIFIXO ac sibi vacaret. Utinam imitetur, quicumque audit CRVCIFIXI Amator.
Cornel. de Lap. ibid.

DECAS XV.

I.

AMATOR CRUCIFIXI

*Si sit juvenis, optat mori eo ætatis suæ
anno, quo Amor suus Crucifixus
est.*

ID in optatis habuisse Alexandrum
Cardinalem Ursinum, desideria juve-
nis in PASSIONEM CHRISTI penitus
absorpti, & ad CRUCIFIXVM suum quam-
primum perveniendi affectus, tum mor-
tis subsequutæ tempus indicare vide-
tur. Ita autem res accidit.

ISI.
ALEXAN-
DER URSI-
NVS CAR-
DINALIS
Italus.

In privilegio Assumptionis DEIPA-
RÆ, præter ordinaria devotionis exer-
citia obita, exhortationem in Congre-
gatione ad suos habuerat solito arden-
torem, ac deinde de more cum suis
acriter se diverberaverat. Solebat enim
eo die sanguinem elicere, quem BB.
Virgini daret ac consecraret.

Die ipso festo febriculâ correptus ut
cum Dominâ suâ, quam tenerrimè a-
maverat, citius CRUCIFIXI deliciis, ac
fructu PASSIONIS, frueretur, in octa-
vâ Assumptionis Marianæ, sine agone
& luctâ cum hoste tartareo, quem sa-
nus ita fugarat, ac devicerat; sed perin-
de

de , ac si senectute confectus esset ,
 (cum esset annorum xxxiii. quæ fuit
 ætas CHRISTI D. quando is CRUCE af-
 fixus est) resolutis viribus, placitè, pie-
 que, animam Creatori, ac Redemptori
 suo resignavit, Anno M. DC. xxvi. Au-
 gusti die xxii. Cor Bracciano, ubi mor-
 tuus est, Romam delatum ad ædem So-
 cietatis Farnesianam, ex ejus voluntate
 in Cardinalis Bellarmini sepulchro tu-
 mulatum est.

*Cornelius à Lapide ibid. & Bibliotheca
 Societ.*

II.

AMATOR CRUCIFIXI

*Quinque Vulnusculis compungit pectus
 appensione Clavorum Cruci ad
 pectus dependenti infixorum.*

152.

ID signatè commendari reperio in e-
 logio, quod Cardinali laudato, è So-
 ciis scriptis Vir pius & facundus. Hoc
 verborum complexu.

ALEXAN-
 DER URSI-
 NUS CAR-
 DINALIS
 Italus.

ALEXANDER URSINVS Cardinalis
 sub ipsâ purpurâ & pietatem coluit, &
 dolorum CHRISTI PASSI imitatio-
 nem occultavit. Sigillum CHRISTI è
 CRUCE pendentis in sinu ita gestavit,
 ut obversis in pectus clavis, cum libe-
 ret, apprimere (libebat autem sæpissi-
 mè)

CVLTRIX CRVCIFIXI. 255
mè) QVINIS illud compungeret VUL-
NVSCVLIS, & Amori, ne incomitatus,
aut erubesceret, aut dilaberetur, Dolo-
rem comitem adjungeret, cujus in sinu
pulcherrimè ac molliter illum didicerat
conquiescere.

*Ioannes Rhò varia virtut. hist. lib. 3.
cap. 2.*

III.

AMATOR CRVCIFIXI

*Signo Crucis mira multa, & multis
incredibilia patrat.*

SI quis est è Societate Jesv, qui inde
famam meretur, certè BERNARDI-
NVS REALINVS primas obtinet, qui ve-
teres recentisque omnes in hoc gene-
re superasse videtur. Appono nonnul-
la.

153.
BERNAR-
DINVS
REALINVS
Italus.

I. *Francisco Masse* Lupiis conciona-
turo, statim ut advenit ex labore Hy-
berni itineris enata parotis tantum cru-
ciatum ingerebat, ut linteamina denti-
bus discerperet, ac tredecim dies som-
ni cibi que expers lugeret dumtaxat a-
nimo que deficeret. Ergo interposito
nomine charitatis à Bernardino postu-
lavit, ut Evangelium pro infirmis sibi
recitaret, aurem que affectam CRVCIS
SANCTA signaret. Fecit Pater mox que
se

se inde proripuit, quasi eventus non ignarus. Ejus enim attractu diruptus subito abscessus cruciatum unà penitus effudit.

II. *Lalium Tolomeium* ibidem ad populum verni jejunii tempore dicentem invasit dentium ferus dolor, cum maxillæ inflatione junctus pridie quam esset de Sancta Magdalena Evangelium tractaturus, cui sanctæ fuit devotus. Verùm Bernardinus audiens ab eo veritum, ne ad concionem in eum diem signum populo daretur, adiit ægrotantem, impressaque maxillæ tumentis **CRUCE**, **DEI** hanc esse voluntatem edixit, ne illam concionem præteriret. Quo temporis puncto cum humore omnis prorsus dolor evanuit.

III. *Antonium Capecum* eodem **CRUCE** ductu dolore lateris absolvit.

IV. *Mariam de Stephano*, Capuccinorum Patrum Tertianam, salvis in speciem oculis, distillatio excæcarat: accedebat mœror luctusque perpetuus, non tam cæcitatatis, quàm jacturæ divini officii piorumque librorum. Huic apud Baronē Burgagnensem Dominam suam ista lamentanti, suasit Baro, adiret quantocius Bernardinum, supplexque ab eo quæreret **CRUCE** oculos signari. Negavit quærenti Bernardinus hoc esse vitium cæcitatatis (celandi, opinor, miraculi

raculi gratiâ) sed melancholici humoris, impresso que oculis signo CRUCIS ita persanavit, ut, quæ lugens ducta que ad eum venerat, sine duce, videns, & hilaris domum Baronis repeteret.

V. *Marco Antonio Rosato* cum turgerent fauces, & Medici præludium quoddam strumarum id ducerent, aliud non occurrit, quàm ut sisteretur Bernardino, cum illum egestas aliis remediis privaret. Jussit Bernardinus, tum Marcum Antonium, tum, qui perduxerat, ejus patrem genua flectere, ac pronunciare Sanctissimum JESU nomen, dum partem interim ægotam signo CRUCIS munivit. Atque illo momento dissipata est omnis inflatio, nec unquam deinde comparuit.

VI. *Hortentius Infantinus Lupiensis* Tabellio ex equo lapsus, ita dextrum brachium obtrivit, ut aliquando periclitatus sit: recuperatis utcumque viribus hesit mutili brachio cruciatus cum spe nihilominus sanitatis. Casu itaque Bernardinum in Collegio conspicatus, ex eo obtinuit, ut CRUCEM super brachio duceret. Inde in forum progressus, rogatus que instrumentum quoddam instipularetur, excusare ille iners captumque brachium, tum memor CRUCIS illi à Bernardino efformatæ, probaturum se ait ecquid posset, revoluto que fasciis brachio,

com-

commodè ab se scribi deprehendit, planeque valuit.

VII. *Iosepho Vergæo* ex itinere pedestri per æstatem intercepta crura humoribus defluis, multum diebus quadraginta calamitatis attulerunt. Nam præ egestate remediis carens carere item labore cogebatur, quo tolerare vitam consueverat. Ivit ad Bernardinum, hinc fulcientibus filiabus ac inde baculo, duasque inde horas in exigendo brevissimo spatio insumpsit. Dein Patrem rogavit, ut super crura efformaret **CRUCEM**. Obsequutus Pater ejus pietati, abi, inquit, fili, & in Sacello B. Irenes salutationem Angeli recita: mox enim sanabere. Ivit, recitavit, abjecto baculo, sanus & alacer domum se ad quotidianas operas retulit. Sed eò est plaris quod sequitur, quò rariores sunt, qui ex amentia per miraculum sanantur.

VIII. *Leonardum Sementium* Clericum Lupiensem lethali morbo canna Bernardini exemerat; sed hæsit juveni mentis emotæ delirium, quod tentatis denique omnibus, perpetuum Medici vaticinabantur. Videbatur sibi esse Vicarius Episcopi, post paululum Episcopus, deinde Cardinalis, ac demum Pontifex; cujus grandi sanè cum auctoritate munia omnia affectabat: utque probaret, nihil esse, quod ipse non posset, ma-

AMATRIX CRUCIFIXI. 259

tri oculum digito eruit, ut novum illi oculum cuderet: multaque alia eadem stultitiæ potestate gessit. Ob quæ tandem à Patre colaphis castigatus Collegium adire voluit, apud Bernardinum has injurias expostulaturus.

Ipsò autem Collegii ingressu ianitorum pessimè verbis excepit, sed longè deterius mulctare re ipsa conatus est, quod moratus esset ad fores diutius, nec uti Pontificem, observasset. Occurrit homini ante cubiculum Bernardinus, & cultu communi, eoque purpureo indutum miseratus, ipsius caput CRUCIS triplici signavit, addens: abi sis Leonarde, jam esse Pontifex desisti. Ad quem ejus contactum, repente consanuit, erubuitque se profano in vestitu. Et convalui, ait, P. Bernardinus omnem à me amentiam expulit. Neapolim denique profectus, Doctoris insignia illic obtinuit: nec postea unquam ullum imbecilli capitis signum dedit.

IX. *Marcum Antonium Scripanum* Bernardinus sævo dentium cruciatu,

X. *Paulum Pascaliu*m puerum quadriennii hernia,

XI. *Iosephum Pascaliu*m hujus fratrem apostemate cordi exitium minante, eadem illicò absolvit salutari CRUCIS medicinâ.

XII. Fœminam Lupiensem, à quâ vocatus

vocatus ad Confessionem, quod pedum dolore prohiberetur ab ingressu efformatâ CRUCE, tam perfectè illicò sanavit, ut dilatâ confessione quam constituerat domi peragere, in templum Collegii, eam obitura se statim conferret.

XIII. Parem gratiam, pariq̄ue remedio consequuta est *Porcia Horcia*, cùm se ad Patrem maximo labore tandem detulisset.

XIV. Parem quoque, eamq̄ue repentinam *Ioannes Baptista de Tuso*, articulari morbo ita captus, ut ne in lecto quidem, nisi ægrè se posset convertere.

XV. Infelix mulier oppressi nocte per somnum infantis cadaver ad Patrem clam tulit, eum *Bernardinus CRUCE* adhibita matri redivivum restituit.

XVI. *Horatium Theophilum* densatâ humoris gutta gemina exœcarat, cùmq̄ue triennium jam totum absque duce progredi nequireret, ab amico ad Patrem est perductus, qui iussu utroque in genua, precesq̄ue procidere, cœcum CRUCE oculis impressa vivendi reddidit facultati, obscuræ quidem atque imperfectæ, sed quæ inter paucos dies, suffusione dissipatâ integra evasit.

L. M. Auctor Vita Realini ex M. SS. Italicis cap. 46.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

Quinque Vulnera Christi habet, tanquam efficacissimum medium, ad impetrandum salutem corporis & anime.

HOC medium orandi per VULNERA CHRISTI erat S. Francisco Xaverio familiare, qui identidem hanc usurpabat precandi formulam: *Domine JESV CHRISTE, DEVS cordis mei, per QVINQUE illa VULNERA, qua tibi in CRUCE nostri amor inflixit, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.*

154.
FRANCIS-
CVS XAVE-
RIVS Na-
varrus.

Aloysius Siderens, in libello, cui titulus Fasciculus Myrrhæ, cujus Auctor, in Bibliotheca Societatis, dicitur esse Vincentius Carrasa.

S.
D. I.
H. E. G.

AMA-

AMATOR CRUCIFIXI

*Horis Canonicis septem adjungit quoti-
die totidem meditationes de
Passione Christi.*

155.
FRANCIS-
CVS
BORGIA
Hispanus.

PECVLIARE id fuit B. FRANCISCO BORGIAE, cum ad CRUCEM in Religione portandam se aptaret, quamvis adhuc Prorex Gothalaniae. Cum enim ex commendati sibi Tituli CRUCIS officio, recitare indies stans horis Orationes Dominicis, Salutationesque Angelicas teneretur, ad Horas Canonicas VII, Meditationes totidem salubres ad-
jungebat de PASSIONE CHRISTI. Quibus illum à monte Olivarum ad Calvariae usque; hinc cum Spiritum Patri commendasset, ad sepulchrum, officii gratiam comitabatur.

Ut autem *septies in die cadere justum*, mortalium sapientissimum indicasse^a; sic Parentem illius, Regium Prophetam, *septies in die laudem dicere* solitum^b medias inter Regni occupationes didicerat.^c

^a Proverb. 24. ^b Psalm. 118. ^c Andreas Schott, lib. 1. Vita cap. 9.

AMATOR CRVCIFIXI

*Hora signo audito, precatiunculâ Cru-
cifixum semper, osculo etiam Quin-
que Vulnera veneratur, ubi loci &
temporis opportunitas permittit.*

N OVI ego in Societate quendam, 156.
qui CRVCIFIXI memoriam & cul- ANONY-
rum modis omnibus promovere cona- MVB.
tur, & Sociorum, atque externorum
mentibus imprimere satagit. Is horâ
quâlibet auditâ dicere solet: PASSIO
*Domini nostri JESV CHRISTI custodiat
animam meam in vitam eternam. Amen.*
Ut autem commoditatem habeat oscu-
landi Quinque Sacratissima VULNERA,
habet ante se in pluteo scriptorio col-
locatam CRVCIFIXI effigiem. Alibi
verò, & coram aliis, quod non facit ore,
exequitur corde, & affectu.

AMATOR CRVCIFIXI.

*Crucem quam secum defert navigans,
fluctibus marinis objicit, & tempe-
statem sedat.*

A LPHONSVS SANCHEZ, propter exi- 157.
mias, & singulares virtutes, ani- ALPHON-
miq̄ue cotes egregias totâ Hispaniâ SVS SAN-
notus, ex laudabili, & incensâ cupidi- CHEZ
tate animas ad CHRISTI fidem adjun- Hispanus.
gendi,

gendi, facultatem impetrarat proficiscendi ad Indos. Cùm autem ex portu Acapulco Novæ Hispaniæ tres naves solverent, ut per mare meridionale, Sur vocatum, navigarent ad insulas Philippinas, adeò læva tempestas concitata fuit, ut duæ naves, compagibus solutis, demersæ funditus perierint: tertia, quâ Alphonsus vehebatur, idem infortunium expectabat.

In tantis constituto angustiis subitæ memoria CRUCIS stannæ, quæ S. CRUCEM Caravacensem attigerat, quàm secum gestabat. Eam igitur fiduciâ plenus de funiculo pendulam tradidit vni è nautis objiciendam fluctibus, quoties eos videret ad navem allidi. Tantam autem illa virtutem exeruit, ut fluctuum quamvis ingentium impetus illicò frangeretur, & tempestate paulatim sedatâ, navis lacera quidem, sed tamen salva Manillanum portum teneret.

Historia de Cruce Caravacensi, c. 20.

AMATRIX CRUCIFIXI. 265

AMATOR CRUCIFIXI

*Crucem, quâ nunquam cubiculum, mu-
säumve privat, fulmini opponit,
illúdque avertit.*

P MORALEZ vir eximiae eruditionis,
& opinione sanctitatis celebris,
profecturus ad Indos obtinuit, secum-
que in eorum regiones detulit CRV-
CEM à verâ Caravacensi CRUCE conta-
ctam. Is cum ageret in civitate Angelo-
rum Metropoli provinciæ Tascalc in
Novâ Hispaniâ, Anno M. D. XCV. vi-
debat coortam ex improvise tempesta-
tem, grandine, fulguribus, & fulmini-
bus horribilem; & quidem fulmen post
coruscationem, & tonitru repentinum
in cubiculum suum librari.

158.

Quid faciat? CRUCEM suam exponit
ad fenestram, à quâ fulmen rectâ ad ip-
sum descendens, tantâ velocitate re-
cessit, ut vim quasi superiorem sentire
videretur. Per murum autem illabens,
reliquit fissuram, indicem damni, quod
haud dubiè dedisset, nisi CRUCIS virtus
imperum retudisset.

Historia de Cruce Caravacensi, c. 20.

AMATOR CRUCIFIXI

*Quotidie piè recitat Coronam precato-
riam de Quinque Vulneribus
Christi.*

159.
SOCI
per orbem
sparsi.

HOc præstant in Societate IESV
multi: ut omnes possint etiam,
qui extra illam, modum subjungo,
concinnatum à Quodam, qui experien-
tiâ didicit, quàm sit animæ fructuosum
CRUCIFIXI VULNERIBVS inhære.

CORONA

*De sanctissimis, & suavissimis IESV
CHRISTI PLAGIS ab illis recitan-
da, qui se CRUCIFIXO IESV, &
MARIÆ Matri Dolorose juxta
CRUCEM collacrymanti mancipa-
verunt.*

I. **C**ORONA de Quinque IESV CHRI-
STI PLAGIS continet quinque or-
bium peculiarium series: in quorum
singulis Quinque Orationes Dominicæ,
& una Oratio Angelica recitantur. In
Orationibus Dominicis considerantur
acerbissimi Cruciatuſ IESV CHRISTI.
In Oratione Angelicâ, MARIÆ dolor
perpenditur.

II. E singulis PLAGIS dulcissimis, tan-
quam è fontibus donum aliquod est
hau-

CVLTRIX CRVCIFIXI. 267

hauriendum, petendumque suppliciter.

I. E plaga Pedis sinistri peccatorum omnium Remissio. II. E Plagâ Pedis dextrî Adeptio Virrutum, & præsertim, Fortitudo contra tentationes, & conatus Cacodæmonis. III. E Plagâ Manus sinistra liberatio ab inferorum suppliciis. IV. E Plagâ Manus dexteræ adeptio gloriæ cælestis. V. E Plagâ Lateris, velut ex alveo suavissimo, mel-leus, purus, ac sincerus JESV & MARIÆ amor.

III. Serie quâlibet finitâ, subnectitur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.*

Item: *Sancta Mater istud agas,
CRVCIFIXI fige plagas
Cordi meo validè.*

IV. Qui Coronam istam recitare nequibit, recitet piè Quinque Orationes Dominicas, & Quinque Salutationes Angelicas, cum Quinque Gloria Patri, ad dulcissimarum Plagarum decus ac venerationem, Quinque dona superius expressa, ordine ibi posito, postulando.

METHODUS

Meditandi Coronam Quinque Vulnerum Crucifixi Domini. Seu, dicendi illam mentaliter, eliciendo actus internos intellectus & voluntatis.

I. IN quolibet Vulnere, seu ad quamlibet Plagam tres ab intellectu actus eliciendi sunt: nempe, Amor, Dolor, Valor, perpendendo pretium illius. Tres etiam actus à voluntate, Gratias agendi, Veniam desiderandi, ac petendi, Dona quinque optandi, & exorandi.

II. In quinque signaculis, seu globulis prelatoriis eliciuntur pariter alii quinque actus juxta modum sequentem.

PRIMÒ. In globulis prelatoriis primæ seriei veneraberis Plagam Pedis sinistri quinque actibus confusionis tuipsum. 1. Cognoscendo te eum qui es, hominem vilem, infirmum, peccatorem, in iniquitatibus, & peccatis conceptum. 2. Æstimando te reverà talem, 3. Desiderando ut talem de te opinionem alii habeant. 4. Postponendo te creaturis omnibus: in illarum singulis DEI immortalis dona contemplan: in te verò, quod à te habes considerans, 5. Supportando cum omni patientiâ, & animo æquissimo res adversas omnes, dicendo

IMITATRIX CRUCIFIXI. 269

dicendo cum bono latrone: *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus: Imò, inferiora meritis: quippè qui inferorum poenas meruimus.*

SECUNDÒ. In globulis precariis secundæ seriei dexteri Pedis Plagam quinque actibus coles. 1. Imitando CHRISTVM in studio ac zelo propriæ perfectionis. 2. In zelo salutis ac perfectionis proximi. 3. In zelo gloriæ DEI. 4. Desiderando in CRUCE tuam vitam transigere cum CHRISTO, ut cum sancto Paulo dicas: CHRISTO confixus sum CRUCE. 5. Optando mori cum CHRISTO, qui pro te mortuus est: & his verbis desiderium tuum excitando pro te mortuum JESVM alloquens: *Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.*

TERTIÒ. In globulis precarii tertiæ seriei, sinistræ Manus Plagam honorabis, quinque erga homines amoris signa præbendo. Quod fiet. 1. Si illos, tanquàm DEI filios, CHRISTI fratres, ipsius sanguine redemptos, & divini Spiritus templum contempleris. 2. Omnia illis bona cupias. 3. Verbo & re illis auxiliaris, CHRISTI verbis intentus: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis:* 5. Si pro ipsorum salute tuam offeras vitam.

QUARTÒ. In globulis precariis quar-

tæ seriei, Manus dextræ Plagam adorabis, quinque actibus erga immortalem DEVM amorem tuum exercendo. Quod exequeris. 1. Si DEO suam naturam, suasque perfectiones innumerabiles gratuleris. 2. Illis gaudeas, & oblecteris. 3. Omne illi rerum creatarum obsequium desideres. 4. Te ad divinam voluntatem conformes. 5. Augustissimam DEI naturam videre facie ad faciem cupias.

QUINTO. In globulis precariis quintæ seriei quinque actibus in suavissimâ Lateris vulnerati Plagâ immoraberis, quinquies ad æternam beatitudinem anhelando, Quod facies. 1. Si caducas & fluxas hujus vitæ res asperneris. Maximi ducas æterna, firmaque beatitudinis æternæ bona. 3. Si hæc bona ab immortali DEO pro viribus postules. 4. Pro tot tantorumque bonorum ademptione DEO Quinque Plagarum pretium offeras. 5. Si omnes tuas cogitationes, verba & opera Ad majorem DEI gloriam, & ad vitam æternam dirigas.

FRUCTVS hujus sive mediationis, sive contemplationis sit, perfectissima observatio trium harum vocum: INSPICE, ABSTINE, SVSTINE. *Inspicias* cogitatione Vulnera CHRISTI, ac velut inhabites faciendo in iis quasi quinque Taber-

AMATRIX CRUCIFIXI. 271

Tabernacula : nam reverà in iis te esse bonum est. *Abstineas* ab omni rerum humanarum jucunditate , unâ Sacrorum Quinque CHRISTI Vulnerum suavitate expletus. *Sustineas* libenti animo, & hilariter adversa , & calamitatum omnium impetum , omniaque tuorum hostium tela excipias , fortissimo , QVINQUE JESV CHRISTI Ducis tui PLAGARVM clypeo protectus.

In Sanguine CHRISTI CRUCIFIXI, & *Gratiâ* MARIE. Amen.


S.
D. I.
H. E. G.



I N D E X

AFFECTUUM ET OPERUM
 ERGA
 CHRISTUM CRUCIFIXUM
 SOCIETATIS JESU.

AMATOR CRUCIFIXI

1.  Romptè & alacriter Christo Crucem bajulanti in seruum perpetuum se offert, dicat, consecrat,
 S. IGNATIUS LOIOLA, Hispanus.
2. Curat, ut in Insignibus & Imaginibus scuti gentilitii emineat Crux, sub quâ tuta lateat familia,
 S. Ignatius Lojola, Hispanus.
3. Loca Christi Passi vestigiis signata, & Sanguine rigata inuisit: ac frequenter Cruciatu acerbissimos meditans lacrymatur,
 S. Ignatius Lojola, Hispanus.
4. Si instar Christi Passi comprehendatur, ut reus, si ludibria vulgi patiatur, si indignissimè multetur, si pugnis, calcibusque concidatur, si ad tribunal rapetur, si interrogatiunculis fatigetur, si letet, Crucifixi sui memoret,
 S. Ignatius Lojola, Hispanus.
5. Ad imitationem Christi Passi stultus haberi, & existimari desiderat,
 S. Igna-

S. Ignatius Lojola, Hispanus.

6. Imitatione Christi, pro gaudio eligentis Crucem, Humilitatis gradum supremum conscendit,

S. Ignatius Lojola, Hispanus.

7. Passionem Domini, ejusque meditationem, Cardinem sanctitatis omnis omnisque virtutis cenam habet,

S. Franciscus Xaverius,
Navarræus.

8. Hortatur milites, ut pro Christo Crucifixo fortiter pugnam capeant, & inter pugnandum, tanquam oculis obversantem intueantur,

S. Franciscus Xaverius,
Navarræus.

9. Dilecto suo fidens, Crucis signo super aquam facto ex salsa dulcem reddit,

S. Franciscus Xaverius,
Navarræus.

10. Effigie Crucifixi ad collum suum, & super pectus pendere solita maris tempestatem sedat,

S. Franciscus Xaverius,
Navarræus.

11. Quotidie de uno aliquo dolore Christi Patientis meditationem instituit,

Claudius Jaius, Allobrox.

12. Crucis amore pectus suum ejus imagine sculpsit,

Simon Rodericus, Lusitanus.

13. Noctu evigilans in Crucifixi effigiem

- oculos vigilantes conjicit,*
Simon Rodericus, Lusitanus.
14. *Concipit locum, tanquam maximè sibi
convenientem ad pedes Iudæ proditoris,*
B. Franciscus Borgia, Hispanus.
15. *Conspui optat, aut patienter fert, quia
Christus in Passione consputus,*
B. Franciscus Borgia, Hispanus.
Joannes Fernandus, Lusitanus.
16. *Osculatur terram aut pedes aliorum amo-
re Christi Passi,*
B. Franciscus Borgia, Hispanus.
17. *Postquam nudus ad Christi nudi Cru-
cem in Religione sacrâ confugit, semper
est tenerrimo affectu erga Patientis, & in
Cruce morientis Domini Mysteria,*
Claudius Aquaviva, Italus.
18. *Nomini proprio, quo subscribuntur epi-
stole, Crucem calamo superscribit,*
Mutius Virellescus, Italus.
19. *Cruce calamo expressa, epistola, vice
nominis sui, subscribit,*
B. Aloysius Gonzaga, Italus.
20. *Circa vitæ finem ab occupatione cum
Cruce, & Crucifixo nunquam avellitur,*
B. Aloysius Gonzaga, Italus.
21. *Desiderat mori eo tempore, quo Cruci-
fixi agitur memoria,*
B. Aloysius Gonzaga, Italus.
22. *Sicondat testamentum, legat Crucem,
vel Crucifixi effigiem, tanquam pretio-
sissimum, sibi que carissimum monile*
ami-

amicissimo suo, & cui pra omnibus aliis plus se debere fatetur,

Robertus Bellarminus, Italus.

23. Habet in veneratione quicquid Domini Plagas in Cruce acceptas representat.

B. Aloysius Gonzaga, Italus.

24. *Carissimam habet effigiem sui Crucifixi amabilem juxta ac miserabilem, quam moriens, quoad licet intuetur, ac cum illo dulcissimè agit,*

Robertus Bellarminus, Italus.

25. *Moribundus effigiem Domini è Cruce pendentis exosculatur, complectitur, capiti imponit, frontem, verticemq, eam consignat, humeris superponit, supra pectus collocat, ulnis stringit, animam illi defert,*

Robertus Bellarminus, Italus.

26. *Ad Passionis Christi participationem, & honorem Crucifixi omnibus Christi pervigiliis pane dumtaxat, & aqua jejunat,*

Thomas Sanchez, Hispanus.

27. *Emendicat à Christo in tabernaculo Crucis splendente, ut à Sole suo, veritatis radium, dum lectioni, scriptioni, aut speculationi deditus, haeret in tenebris,*

Franciscus Suarez, Hispanus.

28. *Antequam moriatur, cereum accendi jubet, vel rogat, atque ante Crucifixi effigiem poni; aut, ipse. si tanta sint vires, manu sustinet, adventum Sponsi expectans.*

Consalvus Mederius, Lusitanus.

29. Solemnem quot hebdomadis Concionem de Passione Domini feria VI. habet; & flagellationem piam, ad ejus memoriam inducit,

Gaspar Barzæus, Zelandus.

30. Ut se probet non indignum Societate JESU, noctu cubat humi ad Crucem,

Anonymus Tiro, Armuzianus.

31. Incredibili animositate super fanum Mahometicum Crucem statuit,

Gaspar Barzæus, Zelandus.

32. Percussoribus suis divinam clementiam verbis Christi in Cruce prolatis conciliare conatur,

Jacobus Salesius, Gallus.

33. In fine vite Christi Vulneribus piè salutatis exspirat,

Joannes Magirus, Germanus.

34. Ultimam vite noctem, orando & intuen- do Christi Crucifixi Imaginem jucundè transigit,

Jacobus VViecus, Polonus.

35. Optat eo die mori, quo Christus in Cruce mortuus est,

Jacobus Gordonus, Scotus.

36. Acerbissimos morbi lethalis dolores collo- quis cum Crucifixo temperat,

Joannes Vremannus, Dalmata.

37. In fine vite pollicetur sibi salutem de Sanguine, & Morte Salvatois JESU

Robertus Southwellus, Anglus.

38. *Passionis Christi in se cruciatus experitur,*

Josephus Anchieta, Cenarinus.

39. *Optat esse Vir dolorum, à plantâ pedis ad verticem capitis, ut re ipsâ, pro se virum dolorum, Christum in Cruce exprimat,*

Joannes de Ribera, Indus Occid.

Joannes Plaza Indus incolatu.

40. *Crucem, amoris tenerrimi in Crucifixum tesseram, toto vita mortalis tempore collo appensam, in sepulcrum secum inferri curat,*

Petrus Antonius Spinellus, Italus.

41. *Vt Christo Patienti compatiatur, flosculorum delicias in morbo spernit,*

Valerius Reginaldus, Burgundus.

42. *Crucem cuspidinibus horridam nudo pectori applicat, & insigit,*

Thomas Saillius, Belga.

43. *Dolores morbi sui recordatione Christi Passi, ac Crucifixi mitigat,*

Antonius Gaudier, Gallus.

44. *Morte appropinquante Crucifixi effigië precibus & osculis continuo veneratur,*

Vincentius Regius, Sículus.

45. *Sub mortem, frontem, os, pectus Cruce signat,*

Petrus Ximenez, Hispanus.

46. *Cacodemonem ab obsessis Crucis signo exturbat,*

Nicolaus Cyrowski, Polonus.

47. *Statum sibi illum, gradumve in Religione suâ elegit, qui plus Crucis habet,*
Melchior Nunnus Barretus,
Lusitanus.

48. *Moriens pro Christo in patibulo, ut in Cruce, post invocatos Sanctos Cœlites profitetur in merito Sanguinis Christi Crucifixi spem suam locatam esse,*
Joannes Ogilbeus, Scorus.

49. *Conatur affectus pius in Christum patientem longè latèque, dicto & facto propagare.*

Philippus Hannotel, Belga.

50. *Si petatur ab eo benedictio, Crucem format, sibi que & alteri à Crucifixo benedictionem petit,*

Petrus Ribadiniera, Hispanus.

51. *Desiderat nudus, & Cruce onustus, per plateas urbis homines ad poenitentiam provocare,*

Julius Mancinellus, Italus.

52. *Litaniae de Passione Domini quotidie piè recitat, aliaque edit signa tenerrimi in Crucifixum affectus,*

Leonardus Lessius, Belga.

53. *In theatro supplicii pro Christo perpetiendi constitutus, manibus in Crucem decussatis, amorem suum profitetur,*

Henricus Garnerus, Anglus.

54. *Optat mori illâ horâ, quâ Christus in Cruce spiritum in manus Patris tradidit.*

Georgius Federus, Germanus.

55. *Ad imitationem Christi in Cruce nudi, omni supellectile in fine vitæ se nudat, & corpus flagello subjicit,*

Petrus Sanctius, Hispanus,

56. *In senio solatur se diuturno vitæ in Cruce per multos annos exactæ martyrio,*

Franciscus Boutanus, Gallus.

57. *Christum Cruci affixum intuens, se ab eo nolle separari profitetur, ac religiosum statum amplectitur,*

Franciscus Bencius, Italus.

58. *Inter adorandum Crucifixum, quem manibus tenet, expirat,*

Paulus Josephus Arriaga,
Hispanus.

59. *Si lecto ob morbum affixus incommodè cubat, solatur se, quod commodius in culcitra ipse, quam Christus in Cruce jaceat,*

Joannes VVintershoven, Belga.

60. *Est Passionis Dominica perpetuus Meditator,*

Joannes Rebellus, Lusitanus.

61. *Exoptat mori per cruciatus, ut Crucifixo Domino sit conformis,*

Blasius Plozzynius, Polonus.

62. *Circa mortis articulum salvari petit à Christo in Cruce, ut à Fonte pietatis crimina abludente,*

Augustinus Canus, Indus Occid.

63. *Quotidie minimum semel Christi Passi membra singulatim salutatur, & osculatur,*

Guliel-

Gulielmus VVolf Metternich,
Germanus.

64. *Ob minimas noxas, publicam flagellationem, pralatâ Cruce, per urbem, cum domesticis subit,*

Emmanuel Godinius, Lusitanus.
Socii Conimbricenses.

65. *Affiduus est in Passione Christi meditando.*

Bernardinus Zanonius, Italus.

66. *Bacchanalium insolentiam Crucifixi ostensione coercet,*

Ludovicus Ballester, Hispanus.

67. *Maximè delectatur Cruciatuum Christi Passi contemplatione,*

Organtinus Brixienfis, Italus.

68. *Alacrymis concionem de Passione Domini orditur, & lacrymis abrumpit; semper per Crucem amans, ac Crucifixe suo conjunctissimus,*

Antonius Madridius, Hispanus.

69. *Non aliam habet, amat quæ supellectilem, quàm libros, & Crucifixum,*

Franciscus de Mendoza, Lusitanus

70. *In omnibatione, panem, antequam dividat, ter Cruce signat,*

Franciscus Folianus, Rhætus.

71. *Horis diei singulis peculiariter Dominum passum laudat,*

Arnoldus Cathius, Friso.

72. *Aspectu Christi Patientis ubertim lacrymatur: aspectu ejusdem Gloriosi latitiam*

riâ inenarrabili perfunditur.

Bernardinus Realinus, Italus.

73. *Brachia sua in Crucifixi modum variis
occasionebus expandit; indeque mirè pro-
ficit in Spiritu.*

Bernardinus Realinus, Italus.

74. *Crucis signo impuras cogitationes abigit,*
Bernardinus Realinus, Italus.

75. *Non permittit, ne quidem in infirmitate,
culcitram sibi substratam ad molli-
tudinem sæpius versari, memor Christi in
ligno cubantis duriter,*

Augustinus de Quiros, Hispan.

76. *Crucem in conclavi, aulâ, cubiculo, mu-
sæo, hypocausto, bibliotheca, ad quatuor
climata figit, ut colat.*

Consalvus Silveria, Lusitanus.

77. *Ante Crucifixum optat, & à DEO petit
palmam martyrij,*

Consalvus Silveria, Lusitanus.

78. *Orat manibus in formam Crucis ad pe-
ctus compositis. Et Crucifixum cereis ac-
censis, & in medio locatum veneratur an-
te mortem,*

Consalvus Silveria, Lusitanus.

79. *Cruces laborum, morborumq; optat,
& ne ab iis liberetur, Deum rogat,*

Franciscus Aquillonius, Belga.

80. *Non aliam supellectilem, quàm Cruci-
fixi Imaginem habet,*

Joannes Gondinus, Hispanus.

81. *Cupit vivere & mori inter brachia
Crucifixi sui.*

Iulius

Julius Fatius, Italus.

82. *Christum Crucifixum, si sit Concionator, verbis annunciat, & moribus.*

Ignarius Martinez, Lusitanus.

83. *Annis aliquot, meditando & scribendo de Christo Patiente ad mortē se comparat,*

Carolus Scribanus, Belga.

84. *Promovet pietatem populorum erga Crucifixum signo aris campani; & excitatis ad ejus recordationem adiculis,*

Gaspar Paranympus, Siculus.

85. *Moriturus Christi de Cruce pendentis sigillum per Vulnera dissuaviatur, & expirat.*

Jacobus Alvarez de Paz, Hispan.

86. *Provocat, & impetrat extremā suaviatione suā complexum Crucifixi.*

Joannes Cardim, Lusitanus.

87. *Si Crucem sibi familiarem de collo pendere solitam, ob causam aliquam venerari non potest ante pectus, non cessat tamen coram se positā aspicere piis oculis & colere,*

Joannes Baptista Vitellus, Italus.

88. *Ultimam vitæ noctem colloquiis de Christi cruciatibus transigit,*

Joannes Fernandez, Hispanus,

89. *Per mensem Martium, quo Christus est crucifixus quālibet sextā feriā flagellatione carnem suam affligit,*

Octavius Cajetanus, Siculus.

90. *Nocte caput suum cilicio obvolvitur, spinē Crucifixi Coronam memoriā recolens;*

Dida-

Didacus Martinius, Hispanus.

91. *Circa mortem perpeffiones fuas Paflioni
Dominica confociare ftudet,*

Thomas Hollandus, Anglus.

92. *Plantat apud infideles Crucem, tan-
quam lignum vita incorruptibile, femper
viride, vegetum, germinans,*

Cofmus Turrianus, Castellanus.

93. *In vita extremo colloquium cum Crucifi-
xo, Viatici Eucharifitici loco, fuffituit,*

Antonius Almeida, Lufitanus.

94. *Cruci ferrea infidens, dira ob Crucifixi
amorem patitur, tanquam criminis reus,*

Socii tres Belgæ.

Joannes Baptifta Boddens.

Gerardus Paefman.

Philippus Nottin.

95. *Dominum fuum Crucifixum frequenter
tenerrimis affectibus profequitur,*

Francifcus de Enzinas, Hispanus.

96. *Quamvis creduli pro nomine Chrifti
afficiatur fupplicio, dolet tamen, quod non
agatur in Crucem.*

Ambrofius Fernandez, Lufitanus.

97. *Dum recolit Cruciatum Chrifti Paffi,
fe, ac locũ, ubi moratur, lacrymis perfundit,*

Gaspar Loartes, Hispanus.

98. *In itinere fcipione viatorio, Cruce fupernè
munito utitur,*

Socii Indorum Apoftoli.

99. *In itineribus Crucifixi effigiem fecum
portat; & vefperi in diverforio ante illam
procum-*

procumbens humi orat, gratias agit, meditatatur,

Aloyzius Gonzaga, Italus.

100. *Quò doloribus torquetur gravius, eò prolixius Crucifixum intuens, Deo gratias agit.*

Didacus Ruiz de Montoya, Hisp.

101. *Publicè in theatro supplicii, aut carcere, profitetur, in solius Christi Passione tantum esse virium, ut fidelis per eam salutem aeternam consequi possit,*

Henricus Morsæus, Anglus.

102. *Reparare conatur honorem Crucifixi ab improbis Hebræis violatum,*

Augustinus de Castro, Hispanus.

103. *Effigiem Crucifixi præferens, & sibi commissos animans, ad fortiter pro Christo occumbendum, pectus suum telis inimicorum libenter offert,*

Ignatius Fiaglio, Lusitanus.

104. *Optat, circa finem vite, & genus mortis, aliasque circumstantias, conformari Crucifixo Domino,*

Joannes de Castillo, Hispanus.

105. *Vitam suam Crucis virtuti, beneficioque acceptum fert; & idcirco gratum se Crucifixo, de eâ scribendo, ac vim ejus prædicando exhibet,*

Hieronymus de Higuera, Hisp.

106. *Speâcula Crucifixi atro tecti velo, & mox revelati feriâ sextâ hebdomadæ sanctioris,*

stioris, inimicitias, & similitates in civitate capitales feliciter tollit,

Benedictus Palmius, Italus.

107. *In quâlibet expeditione, Crucem extollit, præfert, erigendam, honorandamq; suadet, & ut fiat, obtinet.*

Patres in Asiâ.

Ferdinandus Osorius.

108. *Diebus antecinerariis, dum mundi mancipia Bacchanalia celebrant, Christum flagellatum, Crucem bajulantem, & alia dira Passum corporis afflictatione representat, sicq; licentiam Bacchantium coërcet.*

Patres in Europâ.

Patres Valentini, in Hispaniâ.

109. *Spectacula cruenta ac periculosa, Passionis Dominicæ Insignibus, & flagellantium cruore impedit.*

Patres Gandienses.

110. *In electionibus ad officia, aut dignitates, postulat à Sanctissimâ Trinitate, per Quinque Vulnera Christi, ut electores, septem Spiritus sancti donis illustrentur, ac dirigantur.*

Patres primi Societatis.

111. *In electionibus ad officia, aut dignitates, coram Crucifixo, & flexis ante illum genibus, fert suffragium, aut illud ibi legit, ut nihil det affectui, sed solam Crucifixi spectet gloriam.*

Patres Electores Præpositi Generalis Societatis,

112. *Coram Crucifixo jurat, se muneri, ad quod electus est, cum fide satisfacturum.*

Patres Assistentes Præpositi Generalis.

113. *Insignia honoris ornat signis Passionis Dominicæ.*

Doctores Theologiæ Societatis.

114. *Religionem Christianam Catholicam Cruce & Gladio defendendam dictis factisq; ostendit,*

Joannes Nunnus, Lusitanus.

115. *Gaudet, si propter Christum in Cruce nudum, nudus ipse in modum Crucifixi ligno alligetur, & ludibrio exponatur,*

Alfonso Castrius, Lusitanus.

116. *Profitetur scripto chirographo, spem omnem suam in Christo Crucifixo esse, dum vitam laboribus plenam ob Christi amorem adgreditur,*

Paulus Camers, Italus.

117. *In itineribus quibuscumque, terraque, mariq; defert secum Crucifixum è ligno, similive materiâ, ad osculandum & honorandum,*

Caveat autem profanus, ne vel curioso oculorum jactu, vel alio irreverentis animi signo offendat Crucifixum. Secus facientes vindictam sentiunt inimici Crucis,

Patres Floridæ cultores.

118. *Postulat humani corpus suum mortuum ad Crucem,*

Martinus Gutierrez, Hispanus.

119. *Ad-*

119. Adsciscit sibi cognomen à Cruce, quia desiderat vivere & mori in Cruce. Et, ut toties Crucis recordetur, quoties nomen suum usurpat, vel audit,

Brunus à Sancta Cruce Romanus.

120. Dum erigit Crucem libenter ad mortem se offert inimicis Crucis,

Patres Indorum Curatores.

Rudolphus Aquaviva, Italus.

Franciscus Aranea.

Petrus Berna.

Antonius Franciscus.

Alfonus Paciecus.

121. Ictum lethiferum pro Crucifixo, compositis ante pectus in Crucis modum manibus, lubens excipit,

Alfonus Paciecus.

122. Antequam cum hoste acatholico congregiantur Catholici, curat arma & signa militaria Cruce exornari, non ad pompam; sed ad Crucifixi memoriam, & in eum concipiendam fiduciam,

Jacobus Gordonus, Scotus.

123. Bellantibus pro fide Christianis, ipse ferventissimâ oratione, Crucem impetrat, quâ in aère visâ obtinetur victoria.

Balthasar Barriera, Lusitanus.

124. Cruce quam gaudens conscendit, veluti è cathedrâ suâ Doctorali libenter, ferventerq; concionatur.

Socii Japones Crucifixi.

Paulus

Paulus Michi.

Joannes de Gotho.

Jacobus Ghisai.

125. Militibus pro fide & religione Christi pugnantibus, Crucifixi effigiem extollit, ut animos eorum attollat

Patres Transilvani.

126. Dilecti sui in Cruce pendentis effigiem ulnis stringens, libenter vitam pro illius fide ponit.

Patres Brasiliæ Catechistæ.

127. Videns in Cruce sanguinolentum Christum, paratus est fundere pro illo sanguinem suum.

Didacus Andrada, Lusitanus.

128. Moribundus digitos in Crucis formam componit, ut mortuus quoque se Crucem ferre velle ostendat.

Consalvus de Tapia, Hispanus.

129. Ut expeditior sit ad Crucis predicationem, non in persuasibilibus humana sapientia verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, conjicit in ignem, qua, ut, thesaurum asservaverat, & habuerat, carissima Scripta Philosophica, ac Theologica ad subtilitatem & speculationem spectantia.

Jacobus Martinius, Hispanus.

130. Nudis plantis, aut scrupulis intra calceos positus supplicatum vadit ad Crucem,

Joannes Berchmans, Belga.

131. Dat secum in lectulo noctu Crucifixo locum convenientem: &, cum illo indormiscit.

Joan-

Joannes Berchmans, Belga.

132. Mane exosculatur Crucem: illi advol-
vitur: &, ad illam suspirat,

Joannes Berchmans, Belga.

133. In Crucifixum vibrat sententiolas ut
amoris flammulas,

Joannes Berchmans, Belga.

134. In vita extremo Crucifixum affatur,
osculatur, amplectitur

Joannes Berchmans, Belga.

135. Moritur defixis in Crucifixum osculis,

Joannes Berchman, Belga.

136. Crucem sibi parat ex quâlibet, quæ ad
ad manum est materiâ, ut memoriam
Crucifixi renovet,

Joannes Berchmans, Belga.

137. Si est pictor, sculptor, aurifex, plastes,
gemmarius, pingit, sculpsit, fingit, for-
mat in artis suæ materiâ Crucem, aut
Crucifixi effigiem, à quâ in vita suæ ex-
tremo nunquam vultum avertit, ut
Crucifixi memor, illique animo affixus
moriatur,

Antonius Lega, Italus, Coad-
jutor, Aurifex.

138. Mortem sibi pro Christo crudeliter infe-
rendam, manibus in Crucis formam, pe-
ctori appressis, velut Palmam comple-
ctitur,

Gulielmus Saltamochius, Gallus,
Coadjutor, Sutor.

139. *Christum in Passione alapis crudeliter casum considerans, gaudenter pro eodem colaphos patitur,*
 Petrus Ferdinandus, Lusitanus,
 Coadjutor, Faber lignarius.
140. *Cubilis commoditatem Christi in ligno Crucis cubantis consideratione spernit,*
 Vincentius Salernitanus, Italus,
 Frater.
141. *Ad ostensam sibi in fine vite imaginem Christi Crucifixi rubore suffunditur & pedes ejus exosculatur.*
 Alphonfus Rodriguez, Hispanus,
 Coadjutor, Janitor.
142. *In flabello Crucem depingi curat, ut semper versetur ob oculos flabellifero,*
 Patres Japonum, Sinarumque
 Catechistæ.
143. *Erudit suum Catechumenum, instigatque ad portandam Crucem Christi antequam professione plenè sit Christianus,*
 Socii Japonum Instructores.
144. *Instruit sibi commissum alumnum, ut Crucis Signo, velut superinfusâ gelidâ astum libidinis in animâ exinguat,*
 Socii Panormitani Mahumetanorum Institutores.
145. *Docet Neophytos, Crucis virtute vim violentiamq; Cacodæmonum frangere,*
 Henricus Henricius, Lusitanus.
146. *Gaudet collocari in adium vestibulis*
 Cru-

*Crucem adversus Demones, eoque spem
de iis victoria reportanda concipit,*

Franciscus Xaverius, Navarræus.

147. *Ad omnem corporis animique infe-
stationem, malamque constitutionem,
Crucis Signum, ut averruncamentum ad-
hibendum suadet,*

Patres Japonum in fide Magistri.

148. *Monet Milites, ut ante conflictum cum
hoste, Signo Crucis frontem muniant,*

Patres Brasiliæ Magistri.

149. *Ad nudum pectus, sub purpurâ, aneam
è Crucependentis Domini, ac Dilecti sui
effigiem gestat; eaque nudam carnem
suam pungit, & cruciat,*

Alexander Cardinalis Ursinus,
Italus.

150. *Secessum meditationi Passionis Domi-
nicæ idoneum sibi parat, eoque per inter-
valla fruitur,*

Alexander Cardinalis Ursinus,
Italus.

151. *Optat mori eo ætatis suæ anno, quo A-
mor suus Crucifixus est.*

Alexander Cardinalis, Ursinus,
Italus.

152. *Quinque Vulnusculis compungit pe-
ctus, appressione clavorum, Cruci ad pe-
ctus dependenti infixorum,*

Alexander Cardinalis Ursinus,
Italus.

153. *Signo Crucis mira multa, & multis
incredibilia patrat,*

Bernardinus Realinus, Italus.

154. *Quinque Vulnera Christi habet, tan-
quam efficacissimum medium, ad impe-
trandam salutem corporis, & animæ,*

Sanctus Franciscus Xaverius,


Navarraus.


Coll. sancti Ioseph. 1651.

FINIS.



Handwritten text, possibly a signature or date, in dark ink on aged paper.







Th
3265